C. SUETONII TRANQUILLI

DE

GRAMMATICIS ET RHETORIBUS

LIBELLI

EX EIUSDEM OPERE

DE VIRIS ILLUSTRIBUS

SUPERSTITES.

AD FIDEM CODICUM

RECENSUIT

ET

ADNOTATIONE CRITICA

INSTRUXIT

FRIDERICUS OSANNUS.

GISSAE.

PROSTAT APUD IO. RICKERUM.

MDCCCLIV.

1861, Nov. 15.

Gray Fund.

92 cts.

PRAEFATIO.

Libellos de illustribus grammaticis et de claris rhetoribus Suetonii Tranquilli nomine vulgatos ex opere ampliore, quod de *viris illustribus* vel, si Casaubonum sequi malis, *de viris in litteris illustribus* conscripsit, iam inter omnes constat excerptos eaque fere forma, qua opus auctor ipse in vulgus prodire iusserit, ad nos perlatos esse. Quo opere quum olim fuissent qui existimarent, non solum de viris litteratis egisse Tranquillum, sed in universum de omnibus aut plerisque omnibus Romanis, aliqua insigni laude illustribus, duce praesertim Alexandro Minutiano, qui uno titulo *Suetonii de viris illustribus* illos duos libellos una cum libro integro Aurelii Victoris, quo prisci Romae reges sive duces enumerantur, Mediolani publicasset *): Is. Casaubonus, cuius ferme verba in superioribus exscripsi,

*) Qui non tam unius Minutiani quam saeculi error fuisse videtur, quandoquidem eundem Victoris libellum Suetonii nomine atque sub titulo *de viris illustribus* pluries citatum et expilatum reperi in A. Sabini Commentariis ad Iuvenalem Romae 1474, ad Sat. I, ubi de Licinio Stolone; ad Sat. II et III, ubi de M. Curio Dentato; ad Sat. VI, 308, ubi de Tullia Servii f.; ad Sat. VIII, ubi de P. Aemilio. Quid? quod Suetonii (etiam Plinii Secundi) nomine liber iste typis descriptus saeculo XVI aliquoties prodiit. V. Massmann ad Taciti Germ. p. 18.

nota initio libelli de gramm. apposita, et ante hunc Achilles Statius, quem vide in exordio commentariorum suorum, verius ita statuerunt, ut eo opere huius de sententia libelli de gramm. et de rhetor. et alia nonnulla, in his etiam Plinii vita, comprehensa fuissent, ille insuper Suetonium etiam poetarum Rom. vitas simul enarrasse ostenderet, cuius reliquiae aliquae in frustis vitarum Horatii, Lucani, Persii superstitibus ad nos pervenissent, donec nostra memoria Ritschelius Parerg. Plaut. p. 610 sq. totum hunc locum retractavit et, praesertim docendo, praeter grammaticos, rhetoras et poetas Suetonium eodem modo etiam oratores perlustrasse *), ea de re quid hodie sciri po-

*) Unum addo, quod si probabile videatur, sententiam a Ritschelio de illa operis accessione propositam et firmat et operis rationi illustrandae inservit. Videlicet in Vallae Commentariis ad Iuvenal. III, 74, ubi de Isaeo oratore Romae claro sermo fit, nonnulla de cognomine oratore Attico ex Tranquillo referuntur: „Isaeus rhetor fuit Atheniensis, ut Probus inquit, illius temporis cuius et Tranquillus meminit, alter Isocratis, ut ferunt, discipulus praeceptorque Demosthenis, ut quidam sentiunt, Atheniensis, ut alii Chalcideus, sed Isaeum dixisse hunc credi par est, de quo Plinius in epistolis etc.“ Quae de Suetonio hic afferuntur, ficta esse non possunt, neque in fabulis refert Otho Iahnius in nupera Scholiorum Iuvenalis editione, commode ea ad librum Suetonii de viris illustribus pertinere admonens. Recte. Quemadmodum enim in profligandis operis partibus singulis superstitibus de grammaticis et rhetoribus eum morem secutus est, ut singulorum virorum recensui introductionem quandam de argumenti tractandi historia praemiserit, ita etiam eius capitis, quod de oratoribus agit, prooemio admodum credibile est de eloquentiae Graecae origine atque progressu nonnihil auctorem inseruisse: quo Isaei mentio eo aptior videri debuit, quo is non solum orator ipse, sed etiam in ipsis eius artis doctoribus et professoribus fuit. Adiungo etiam aliam observationem, ad sectionem de poetis spectantem, haud minus probabilem: fragmentum Tranquilli, quod de origine poeseos agit, Isidoro Orig. VIII, 7 citatum (apud Wolfium T. III. p. 74), sine dubitatione sectioni illi adscribendum, pariter sedem suam in prooemio habuisse.

test, qua pollet eximia acuminis facultate, in tam clara luce posuit, ut secundis curis nihil iam relictum esse videatur nisi ut magni illius operis quidquid aetatem tulerit, auctoritate cuiusque fragmenti examinata, in unum colligatur iustoque ordine digeratur, quo amissi operis saltim imago reddatur. Hic labor tametsi cura hominis docti singulari perquam dignus foret, tamen quo minus ipse susciperem perficiendum, non tam argumenti difficultas quam cogitatio me deterruit, eam partem quae ad vitas poetarum spectat, haud posse correctam ante vulgari quam quae adhuc in bibliothecis subsidia manuscripta delitescant usui publico reclusa sint. Itaque ego quidem manum de tabula, qui, quum in concinnanda Historia Grammaticorum Latinorum multis abhinc annis occupatus, intellexissem a Suetonii libello utroque de gramm. et de rhet. cummaxime proficiscendum mihi esse, nihilque in eo labore sustinendo perfici posse nisi in promptu esset eorum libellorum exemplum quantum fieri posset vitiis quibus etiamnunc commaculantur purgatum, operam meam unice impenderim in colligendis quibusdam criticis instrumentis, de adornanda et in vulgus emittenda editione haudquaquam cogitans. Talem autem interim a Laur. Lerschio parari, per ipsum, qui erat a primordiis ipsius studiorum ipsa horum cognatione mihi intima necessitudine coniunctus, certior factus nullam interposui moram quo minus quae ad iuvandum, quantum in me esset, consilium eius laboremque susceptum pertinere scirem vel in promptu ipse haberem cum eo communicarem tantum non omnia. Sed coeptis fortuna non favit. Homine optimo omnibus bonis litterisque matura eheu morte erepto, quum neque percunctanti mihi de relictarum a Lerschio schedarum fatis Bonna responderetur, neque quemquam scirem qui desertas partes denuo in se suscipere vellet, primo meum in usum institui eorum libellorum exemplum conficere, postea auctis subinde copiis meis proximo anno consilium cepi laboris mei fructum in vulvus emittendi.

Singulari autem casu fortunae accidit ut qui contextus eorum libellorum circumferebatur, certo et firmo fundamento destitueretur, quum neque de codicis Ms. ullius scriptura accurate constaret neque de conditione eorum qui adhuc adhibiti essent, si ex nominibus numerantur, numero haud pauci, satis liqueret. Adde quod qui priorum aetatum editoribus ad manus fuerunt codices, ii posteriores latuisse videantur, ut quasi in sepultis referendi fuerint, et si qua exstabat notitia eorum, non ex ipsis fontibus limpidis, sed ex derivatis gustandi copia iis facta esset. Quocirca mirum paene in modum Casaubonus de penuria codicum temporibus suis questus est his ad Gramm. init.: „Inde est, quod quum librorum octo de Caesaribus passim in omnibus bibliothecis scripta manu exemplaria reperiantur, horum tamen libellorum ne vestigium quidem ullum in librariis vel locupletissimis apparet. Nos in regia [Parisiensi, cui ipse praefuit] nusquam illos offendimus. Unum exemplar Senator amplissimus Paulus Petavius exhibuit, alterum olim habuit V. CL. et praestantissimus Petrus Pithoeus; unde excerptas διαφόρους γραφὰς optimus virorum Iacobus Bongarsius ὁ πάνυ nobiscum communicavit. Multa in iis notata, quae ex aliis libris protulerunt in lucem Achilles Statius et Elias Vinetus, viri doctissimi, et de his libellis praeclare meriti: nos pauca attingemus illis intacta.“ *) Neque Oudendorpio neque subsequentibus editoribus codicem quemquam antiquum inspicere licuit, uno excepto Wolfio, qui quo modo Parisiensi uno sibi commodato usus sit posthac videbimus. Itaque factum ut, dum in Caesarum Vitis potius de abundantia codicum undecunque allatorum querendum fuerat, quibus contextum refingere liceret, in istis libris standum fuerit in obscura lectionum ex aliquot non satis distinctis codicibus excerptarum farragine, donec reperto tandem Leidae Perizoniano libro scripturae antiquae restituendae instrumentum locupletissimum

*) Cum his cf. Casauboni Epistolae, Magdeburgi 1656, p. 31.

industria Lud. Trossii nuper apparatum est *): cuius de pretio quum plerique ita statuerunt, ducem tandem primarium in contextu constituendo praecipue sequendum in lucem productum esse, mihi quidem, ut hoc in antecessum dicam, in multo maiore lucro hoc ponendum videtur, quod cognito hoc codice demum perspicere licet, quid et de ceteris codicibus atque omnino de conditione et origine contextus, qui hodie circumfertur, existimandum sit. Huius rei quid sit, age ostendamus, ab hoc ipso libro exordientes.

Novam Germaniae editionem meditans, Trossius insignis codicem notae, quem Leidae in bibliotheca academica servari certior factus esset, Leidae excussit et his verbis descripsit **):

„Est vero codex (cum signo *XVIII Periz.* C. 21), quem Perizonianum appello [ego *P.*] membranaceus, forma fere quadrata, IX pollices ac X lineas altus et VI pollices latus, in quavis pagella XXII lineas complectens, charactere illo seculi X luculentissimo, Longobardico, quem librarios Italos seculo XV summo cum artificio imitatos esse inter omnes constat .... Sunt folia LX, quorum XXX priora Dialogum de oratoribus, XVII proxima Germaniam, reliqua Suetonii de viris illustribus libellum continent. Primi folii pagella prior vacua relicta est, altera autem inscriptionem habet hanc:

---

*) Taciti Germania etc. ed. Tross. Hammone 1841.

**) V. nunc etiam Geelii Catalogus libror. manuscriptor. qui inde ab anno 1741 bibliothecae Lugduno-Batavae accesserunt. Lugduni Bat. 1852. p. 121 sq. Editorem cl. fugit omnium accuratissime eius codicis notitiam dedisse Massmannum, qui intercedente ipso Geelio iterum inspexit, et diligentissime examinavit, ad Taciti Germ. p. 7 sq., inter alia memorabilia, quae repetere nolo, etiam hoc certis argumentis p. 204 demonstrans, exemplum id, quod Pontanus exscripsit, minusculis litteris exaratum fuisse.

Hof libellof Jovianuf pontanuf excripfit nuper adinventof et in lucem relatof ab Enoc afculano, quamquam fatif mendofof.	*M. CCCC. LX Martio mense.“ *)*

Haec quidem codici in fronte praescripta ad omnia quae eo continentur opuscula spectant. De Suetonianis vero libellis accuratius docemur alia nota eiusdem Pontani ad initium eorum in margine minio adscripta, quam malo ex correctiore exemplo, quod debemus Ritschelii diligentiae l l. p. 612, exscribere:

> *C. Suetoniuf fcripfit de virif illuftribuf. cuiuf exemplum fecutif fecutuf hieronymuf ipfe quoque libellum de fripto̤ribuf chriftianif edidit. Nuper etiam Bartholomeuf façiuf familiarif nofter de virif illuftribuf temporif fui librof compofuit. qui ne hof Suetonii illuftref virof videre poffet morf immatura effecit. paulo enim poft eiuf mortem in lucem redierunt cum multof annof defiderati a doctif hominibuf effent. Temporibuf enim Nicolai quinti pontificif maximi Enoc *) Afculanuf in Galliam et inde in Germaniam profectuf conquirendorum librorum gratia hof quanquam mendofof et imperfectof ad nof retulit. Cui fic habenda eft gratia, ut male imprecandum eft Sicconio polentono patavino. qui cum eam partem que eft de oratoribuf ac poetif inveniffet, ita fuppreffit ut ne unquam in lucem venire poffet. quam ego cum patavii perquirerem, tandem reperi, eam ab illo fuiffe combuftam. ipfumque arrogantia ac temeritate impul-*

---

*) In eodem folio codicis primo verso, quo supra exhibita leguntur, a recentiore manu, testante Geelio, adiecta sunt verba: „Super aegròs manus imponent et bene habebunt. Iesus Mariae filius mundi salus et dominus per merita B. Vincentii Confessoris sit tibi clemens et propitius. Amen.“

*) Geelius *enos*, haud scio an operarum culpa: mox idem *conquaerendorum*, et *Sicconi*, pro *Sicconio*.

ſum, de vitiſ illuſtrium ſcriptorum loquaciſſime pariter et ineptiſſime ſcripſiſſe: ~

Iou. PONTANVS. VMBER EXcripſit: ~

Quum iam Ritschelio monente incertum sit, nota illa utrum a Ioviano Pontano ipso profecta sit, id quod contendit Trossius, an in alio codice, qui ex libro Henochi Asculani transcriptus esset, reperta a Ioviano repetita sit, haec quaestio facile dirimitur testimonio Geelii p. 122 adnotantis, eam longiorem notam, licet minutioribus litteris exaratam, eiusdem manus esse, quae ipsum codicem scripserit. Codicem vero ipsum a Pontano scriptum esse, nemodum in dubium vocavit excepto Geelio l. l. genere vitiorum et liturarum, quod longior nota ostendat, nisus. At ut hanc differentiam non tanti puto, ut certa hinc in scriptoris manum conclusio fiat, ita dubitanti omnem scrupulum adiment quae de Ioviani manu ex aliis codd. collecta scripturae exempla protulit Massmannus l. l. p. 183. Ceterum quo modo cumque ea de re statuas, non multum id scire refert, quandoquidem propter tempora Nicolai, pontificatus honoribus ab a. 1447 ad 1455 functi, necesse est statuamus codicem quem habemus, sive a Pontano ipso scriptus est, quod factum dicitur a. 1460, sive ab alio, exemplum libri Henochiani praestare, quod haud multo post quam illi libelli, sive in Gallia, sive in Germania, quod cum Trossio mavult Massmannus p. 171, ab Henocho inventi, in Italiam translati essent, confectum sit. Annum, quo primum reperti libelli in hominum doctorum notitiam venerint, accurate nequeo definire: hoc tamen ut credam ante media fere tempora pontificatus Nicolai factum non esse adducor testimonio quodam Poggii Florentini, qui Francisco Coppino per epistolam a Maio Spicil. Rom. T. X. p. 316 primum editam haec scribit: „Novissime a summo pontifice (Nicolao) missus est ad eos libros (Livii) perscrutandos Henoch asculanus, qui adeo diligens fuit, ut nihil iam biennio invenerit dignum etiam indocti hominis

lectione.“ De altero enim itinere, quod Henochus Nicolai iussu susceperit, nihil constat, ut ex itinere, quod biennium absumpsisse dicitur, quum Nicolaus praeterlapso demum aliquo post acceptos sacros honores tempore conquirendis veterum libris operam daturus fuerit, in Italiam ante a. 1450 redire vix potuerit. Contra quod probabile esse ait Massmannus Henochi reditum in Italiam incidisse demum inter annos 1458—1460, Pontifice iam mortuo, id neque idoneis argumentis demonstravit, neque credibile est propter certum annorum, quos in itinere Henochus consumpserit, indicem. Si vero ponamus Nicolaum anno antequam mortem obiret Henocho iter mandasse, reversus est a. 1457 vel insequenti: quae temporum ratio bene convenit cum eo, quod Bartholomaeum Facium, auctorem operis de viris illustribus sui temporis, qui anno 1457 fatis cessit, Pontanus diserte negat Suetonianos libros videre potuisse, unde cum Massmanno p. 185 concludendum, Italis hominibus Suetonium ante a. 1457 non innotuisse. Quodsi denique Poggius l. c. de exiguo istius itineris succesu queritur, qui insuper in sequenti epistolae parte de fide Henocho habenda male se existimare narrat quique in alia ipsi scripta epistola ibidem p. 315 edita de calumnia cum eo graviter expostulat, illud ipsum comprobatur testimonio Vespasiani Florentini Opere de viris illustribus saec. XV vernaculo sermone scripto c. 92 *), praeter Porphyrionem in Horatium et Apicium „de caenis“ nihil eum ex Germania domum reportasse tradentis **):

*) Maii Spicil. Rom. T. I. p. 665, unde totum caput quo minus hic transcribam otium fecit mihi Orellius qui repetendum curavit Epistolarum Tullianarum editione altera p. XLIII.

**) V. quae ex Platina ex Vitis Pontificum Massmann p. 12 affert eundemque de Henochi itinere nonnulla excitantem ibid. De Orestis fabula hexametris conscripta, quam idem Henochus repcrisse alicubi dicitur, in Ambrosiano codice Mediolani servata disputavit Maius l. c. p. XXII. De Henocho nostro praeter ea quae Ioecherus in Lexico eruditorum protulerit,

quibus tamen Suetonianos libellos cum utroque Tacitino addendos esse iam in comperto habemus.

Sed satis de Henocho. Quae deinceps in nota illa Perizoniani codicis margini adiecta de Sicconio sive Siccone, vel si cum ipso homine loquendum est, Xicchone *) Polentono narrantur, eo digniora sunt quae accuratius excutiantur, quo proclivius ea erroris ansam dederunt. Ea enim verba Ritschelius ita accipienda putavit, ut alterius codicis, quo Suetonii opus quatuor suis partibus intemeratum et integrum contentum fuisset, notitia exhiberetur: cuius libri Sicco, quum in scriptione sua de viris illustribus circa a. 1433 confecta usus vel abusus esset, eam partem, quae oratores et poetas tractaret, comburendo delevisset. Ex quibus vir acutissimus in hanc sententiam processit, quam ipsius malo verbis reddere p. 615: „Zwei verschiedene Originalhandschriften der Suetonischen Viri illustres hat es hiernach im 15. Jahrhundert gegeben, eine absichtlich und eine zufällig verstümmelte. Aus der letzteren scheinen unsere jüngern geflossen, die erstere weder in früherer Zeit (von dem mehrerwähnten Berichterstatter) benutzt, noch in neuerer wieder aufgefunden zu sein.“ Cui sententiae tantum abest ut accedam ut eam ne verbis quidem ipsis Ioviani aut quicunque eius notae auctor fuit, firmari credam. Ac primum si in illa de combustione partis fama standum est, quam si in fabulis referamus, simul fabulae fiunt quaecunque de altero aliquo codice traduntur, neque ego omnino video cur famae illi fidem denegemus, quum damnosam eam libidinem, cui indulserit Sicco, etiam alia veterum scripta experta sciamus, si igitur combustio illa tenenda est, quae caussa esse potuit, quod alteram partem Sicco intactam reliquerit, quum credi non possit,

---

nihil in comperto se habere Trossius non questus esset, si lubuisset notitias perlustrare a Maio l. c. indicatas, vel etiam his in terris volenti patentes, ut Fabricii Bibl. Lat. T. II. p. 465.

*) V. Voss. de hist. Lat. III, 9. p. 804.

in opere suo quo „scriptore illustres linguae Latinae" perscripsit, eum grammaticos et rhetoras non attigisse, ac rhetoras quidem, ubi oratores tractaverat? Si tamen unam partem combussit, alteram reliquit, quo gentium dicamus hanc quae erat de grammaticis et rhetoribus delatam, ut novo repertore Henocho opus esset: quam Patavii perquirendi labor Ioviani frustra fuit omnino. Existimationi autem suae Sicco consulere si volebat, ne plagii coargueretur, neque alia comburendi caussa ipsi esse potuit, etiam haec pars comburenda erat, quandoquidem hoc codice excepto alius qui ista contineret, aetate illa hominibus doctis incompertus fuit. Si denique ea pars a Siccone non combusta fuit, qui factum sit, ut eae codicis reliquiae nullo tempore a quoquam oculis usurpatae sint, immo ad hunc usque diem utique lateant, aegre intelligimus. Etenim qui hodie mutili operis codices supersunt, ex uno eodemque fonte prodierunt universi, id quod mox ostendemus. Neque denique ipsa Ioviani verba sententiae a Ritschelio propositae addicunt. Non dicitur Sicco Suetonii librum de viris illustribus invenisse eiusque partem, quae poetas et oratores complexa esset, combusisse, sed eam partem, quae esset de oratoribus ac poetis, ab se repertam, suppressisse, ut ne unquam in lucem venire posset, quod comburendo factum esse, Iovianus quum eam partem Patavii perquireret narrat se *reperisse;* quod verbum non potest non alio sensu quam comperiendi accipi. Atque hanc revera esse vocis vim, comprobant quae sequuntur verba ex ea voce *reperi* continua oratione suspensa *ipsumque arrogantia* etc. Combusti igitur libelli Suetoniani, quo pars una totius operis comprehensa fuit, nihil superfuit nisi fama, qua Iovianus contentus esse debuit. Ut colligamus in unum, quae ex testimoniorum fide sobrie explorata prodire videntur quaeque non modo veri similia, sed vera esse arbitror: duo saeculo XV exstiterunt codices, nihil inter se nisi scriptorum auctorem commune habentes, quorum unus Suetoniani operis partem licet imperfectam, quae de

gramm. et rhet. esset, et quae ad nostram aetatem perlata est, alter alteram, quae de oratoribus et poetis esset, et quae nefando facinore Sicconis suppressa est, complexus esset.

Patet iam unum olim exstitisse veterem codicem, qui libellos de grammaticis et rhetoribus ex opere illo ampliore excerptos una cum Taciti Germania et Dialogo de oratoribus contineret: ex quo quum porro constet descriptum esse eum quem Leidae servant, hunc tandem Trossii opera in communem omnium usum divulgatum esse, editori quum alias ob caussas, tum ideo gratiae agendae sunt maximae, quod nunc demum de ceterorum subsidiorum criticorum manu scriptorum indole accuratius statui licet. Atque ut praecerpam, quod singula huius disquisitionis momenta expendendo comprobaturus sum, certo certius nunc habetur, quotquot adhuc ad hominum memoriam venerunt illorum libellorum codices, quorumque nunc demum aliquot accurate pernoscere mihi contigit, eos omnes ex uno illo, ex quo Perizonianus descriptus est, promanasse: cuius rei certissima probatio in eo cernitur, quod nullus adhuc repertus est liber, qui non pariter atque Perizonianus libelli imperfecti de rhet. desinat in verbis *abstinuit cibo*, quibus in margine in Periz. haec nota adiecta est: „Amplius non repertum est adhuc. desunt rhetores XI," quemadmodum in editione Florentina a. 1478, Fabricio Bibl. Lat. T. II. p. 463 teste, verbis illis subiicitur: „Nihil amplius reperitur." De ceterorum librorum subscriptionibus sub finem cuiusque libelli dictum est. Haec vero omnia ut in clara luce ponantur necesse est codicum quorumcunque notitias examinemus: quem laborem ita profligare instituimus, ut primum de iis copiis criticis, quibus superiores editores usos noverim, tum de iis codicibus dicatur, quos alicubi terrarum latere compererim adhuc non usurpatos, postremo de iis, quos ipse primus adhibuerim.

Superiorum aetatum fata, quibuscum uterque Suetonii libellus conflictatus est, retrospicientem subit mirari qui factum

sit ut quum de codicibus eius nonnullis hic illic servatis constaret, velut de Vaticanis, ii ab editoribus vel negligenter et obiter inspecti vel plane ignorati sint. Ac Perizonianum, legato possessoris, ut refert Trossius p. V, bibliothecae Leidensi illatum*), cum I. Gronovio ignoravit Franc. Oudendorpius, in hac litterarum sede constitutus quasi eius generis thesaurorum custos, quas ea bibliotheca edendo Suetonio copias servaret, ceteroquin sollicite conquirens atque in usum suum convertens. Ac mira iam ante Oudendorpium exemplorum fuit aut esse putabatur inopia, quam, ut supra vidimus, conquestus iam erat et explicare instituerat Casaubonus. De iis tamen libris et de aliis quibusdam subsidiis, quibus Casaubono uti licuit, sicut etiam de ceteris codicibus, quos editores Casaubono anteriores usurparunt, quid statuendum sit, id quantum hodienum fieri potest, commodissime ex enarratione copiarum, quae Oudendorpio ad manus fuerunt, cognoscetur.

Subsidia Oudendorpiana.

Nova quidem Oudendorpio praesto fuerunt ex codicibus subsidia: quae tamen ea fuerint, difficilius nunc est dictu, quum neque universe de iis disputarit, neque ubi eorum singulis locis mentio fit, diligentia ea, qua nunc agere solemus, eos designaverit. In Praefatione enim ubi codicum recensum exhibet, libellorum de gramm. et rhet. ratio non habetur, ut quae ibi adnotantur ad Vitas unice spectare videantur. Igitur ex singulorum contextus locorum adnotatione subsidia illa quae fuerint discendum, saepe divinandum. Quod extricare mihi licuit, paucis comprehendam. Nominatim Oudendorpius hos laudat libros.

---

*) Accuratius Geelius l. l.: „Emtus est aere Perizoniano anno 1742 incertum unde", unde patet, codicem in ipsa supellectili litteraria a Perizonio bibliothecae Leidensi legata non fuisse, sed multis annis post ex ingenti illo aere, quod bibliothecae Leidensi Perizonius fatis defunctus a. 1715 legarat, emptum esse. Cf. Geelii Praef.

1. *Achillis Statii Mss.* vel etiam *Ms.* laudantur ad Gr. 2 *grammaticam.* 4 *grammaticis statim e ludo*, et passim. In his unum Vaticanum fuisse ex 10 *notus* cognoscitur. Atque aliunde quoque tres libri Mss. Vaticani ad nostram notitiam pervenerunt, quos commemoravimus ad Gramm. 17 *hemicyclium*, ita ut quum passim Statii Mss. plurali numero nominentur, in his plures uno Vaticanos significari credendum sit, atque ipse Statius ad Gr. 2 *Servius Clodius* et 19 *notus* mentionem facit *alterius* codicis, et ad 4 duorum *alterorum*, item ad 5 *Saevius Postumius.* Insuper hos Suetonii libros Romae quum esset eum tractasse et in vulgus emisisse, testatur dedicationis, quam operi praeposuit, subscriptio, „Romae, Kal. Aprilib. CIↃ. IↃ LXV." Unius Vaticani codicis, qui an in Statianis referendus sit nescio, notitiam nuper exhibuit Rothius ad Aemilium Probum de excell. ducibus p. 215, saec. XV eleganter scripti, praeter Suetonium de grammaticis et rhetoribus continentis „Corn. Taciti dialogum de oratoribus et poetis, Pomponium Melam de cosmographia, alia; tum *Ex libro Cornelii Nepotis de latinis historicis incipit vita Pomponii Attici* et *Verba ex epistola Cornelie Gracchorum matris ex eodem Cornelio.*" Haud certius constat, ut hoc statim adiungam, de aliis codd. Vaticanis, quos in censura codicum Taciti Germaniam (plerumque una cum Dialogo de orat.) continentium recenset accurateque describit Massmannus p. 13 sq. Horum unus (R., ut Massmannus appellat), numeratur 4498; secundus (Ra) 1862; tertius 1518 (Rc), de quo Massm. p. 16. En tot Vaticanae bibliothecae codices, quot Statium adhibuisse in comperto habemus: quorum ex notitia a Massmanno exhibita quidquid alicuius momenti esse videbatur commentariis meis inserui.

2. *Coll. Voss.*, ut appellatur, quo subsidio Oudendorpius per utrumque libellum diligenter usus est, variantibus constat lectionibus, quas Is. Vossius exemplo Suetonii in bibl. Leidensi, ut puto, servato ex codice adscripserat, ut ipse ait ad Gr. 4 *vocitatos.* Hoc vero exemplum a Tor-

rentiano illo, cui variantes a Vossio ex cod. Mediceo adscriptas fuisse Oudendorpius Praefatione narrat, debet diversum putari, quandoquidem eae ad Vitas solas spectasse videntur, illae vero ductae eidem Oudendorpio ex cod. Petavii dicuntur ad Gr. 10 *fecit,* hic quidem dubitanter („Ms. Petav. et Coll. Voss. eiusdem, ni fallor, codicis"), sed ad 17 *hemicyclium* et 18 *Q. Sexti* sine metu erroris („Coll. Voss. codicis Petaviani"). Ipse Vossius, cuius codicis variantes exscripserit, adnotasse non videtur, quantum quidem ex obscura Vossianae collationis memoria concludere licet, quam dedit Oudendorpius nota ad libr. de Gr. init., suo loco a nobis repetita. Verum autem vidisse Oudendorpium, infra ubi de Parisiensi libro sermo erit, ostendam.

3. *Bongarsii Ms.*, ad Gr. 4 *Nepos.* Commemorat etiam Wolfius ad 4 *ostendit* ex Schotti, ut ait, memoria, Oudendorpio tacente. Hic vero quem Schotti nomine affert codicem ad 4 *nomine,* quantum ex Schotti Obs. hum. I, 17, ab ipso Oudendorpio laudatis, cognoscitur, fuit Petri Pithoei I. C., ita ut quod Wolfius Bongarsium nominat, errori tribuendum sit, inde, ut opinor, repetendo, quod Casaubonus, ut ad Gramm. init. refert, lectiones quasdam ex codd. Pithoei et Petavii excerptas secum a Bongarsio communicatas habuit. Praeterea hunc Pithoei codicem Oudendorpius, qui ex solo Schotto affert, a Petaviano discernit ad Gr. 18 *Q. Sexti.* De codice autem illo Schotti l. l. nonnullos Suetonii de ill. gramm. et rhet. locos tractantis haec sunt verba: „Nos ex utroque libello suo quaeque loco nonnulla e membranis quas Lutetiae olim Pet. Pithoei I. C. optime de multis scriptoribus meriti indulgentia ac beneficio inspexi appendam." Harum copiarum a Schotto appositarum fontem non spernendum Oudendorpius minime exhausit: quem laborem exantlandum ipse recipere debui inseruique commentariis meis universas suo quamque loco lectiones huius codicis, *Pith.* compendiose a me nominati, quidquid a Schotto traditum reperi. De Pithoeano infra iterum et accuratius dicendum erit.

Codices adhuc non, vel obiter adhibiti.

Laurentianus.

Teste Bandinio Cat. Cod. bibl. Laurent. T. III. p. 355. praeter Vitas Suetonii complectitur librum de illustribus grammaticis, inc. *Grammatica olim Romae ne in usu quidem,* desinit imperfecte in vita Crassitii, et in verbis: *Crassitius genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasicles, mox Pansam se cognominavit.* Hic initio . . . . . . Cod. membr. Ms. in 4. Saec. XV nitidissimus, cum pictura in principio Vitarum, stemmate possessoris, et initialibus Librorum eleganter illuminatis Graecisque verbis rubrica suppletis, antiquitus num. 414 notatus. Constat foliis 124. In quo codice valde hoc memorabile, quod librum de ill. gr. integrum non praestat, unde tamen non est quod in familiam diversam ab ea, ex qua ceteri profluxerunt, concludas. Multae enim adsunt rationes, quibus defectus operis explicari possit. Donec igitur ex codicis collatione contrarium probetur, in sententia proposita standum erit.

Vaticani.

V. nobis dicta de Ach. Statii libris.

Neapolitanus,

olim Farnesianus, quo nomine etiamnunc a viris criticis appellari solet, quoque ipse appellavi, nunc Neapoli in Museo Studiorum regio asservatus, de quo accurate Iannellius Catal. p. 89 sq. quem exscripsit Schluttigius Saxo, cuius verba pro ipsius habuerunt, qui notitiam codicis a Schluttigio traditam exhibuerunt, Ecksteinius in Waltheri Tacito T. IV. p. VII. sq. et Orellius ad Tac. T. I. p. XV. De quo codice quae sciri possunt quum ex libris laudatis facile petantur, quamvis ea quae nostra interest scire, frustra ibi quaesieris, ex re erit notasse, praeter Suetonii libellos non solum Taciti Historiarum partem, id quod ad rem nostram nullius est momenti, sed eiusdem Dialogum de oratoribus et de origine et situ Germaniae (sic liber inscribitur) libellum eo contineri. Accuratiorem nunc dedit notitiam Massman-

nus ad Taciti Germ. p. 5. sq. unde docemur Germaniae Suetonii libellos ita inscriptos subiungi: C. SVETONII TRANQVILLI DE GRAMATICIS ET RHETORIBUS INCIPIT, hisque verbis desinere „abstinuit cibo amāro atzhr̄li", quibus in margine adiectum est „vacat i exemplarj." Cui viro doctissimo quas initio et fine libellorum adnotavi paucas illas lectiones acceptas debeo. Vides iam cum Perizoniano hunc codicem eo convenire, quod iunctos tres illos libellos, Taciti duos, Suetonii unum de gramm. et rhet. eodemque deinceps ordine complectitur, unde ne uterque ex eodem fonte prodierit proclive est ad suspicandum. Quam quaestionem, quam nemo non videt maximi esse momenti in auctoritate scriptorum illorum recte aestimanda, ab editore diligenti haud deprecandam, neque Trossius neque Orellius *) instituit vel hic certe non ita tractavit ut quid de utriusque libri cognatione statuendum sit plane liqueat. A nobis vero, in Suetonii libellis unice occupatis, qui quam contextus formam Neapolitanus praestet ignoremus, exspectabit nemo, ut relictam illam quaestionem nos quidem ita absolvamus, ut nullum relinquatur dubium. Dicam tamen quod ea de re persuasum mihi habeo: ut codices Harleianus et Parisiensis, qui pariter eosdem illos tres libros continent, mea de sententia infra firmanda non ex Perizoniano, sed ex eo, cuius Perizonianus exemplum est, descripti sunt, quum praeter Henochianum memoria hominum exstitisse alium ullum codicem non constet, ita non posse non cum illis etiam Neapolitanum, quamvis a scriba multis locis vel corrigendo vel interpolando mutatum, ex eodem fonte ductum esse. Non urgebo quod quae in Pe-

*) In Dialogi editione a. 1846 Turici vulgata iusto brevius Praef. scripsit: „Sane antequam detectus esset Perizonianus, ante omnes post Bekkerum sequendus erat Farnesianus. At nunc meliorem illum nacti cum simus, fateamur necesse est, hunc non immunem esse ab interpolationibus atque erroribus, haud infeliciter tamen nonnulla in eo reperiri correcta."

rizoniano reperiuntur lacunae, eaedem etiam in Neap. exstant: nam potest hoc etiam in alteram partem accipi. Sed ex Perizoniano non fluxisse Neapolitanum, credibile fit, ut alia taceam, inspecta vel una nota in eo ad designandam lacunam, quae in Dialogo est post c. 35, adscripta *hic multum deficit*: in Perizoniano enim quum pagellarum, quot excidissent, numerus accurate perscriptus sit, hoc adnotare librarius Neapolitanus neglecturus non fuisset, id quod non neglexit facere is, qui Vaticanorum unum scripsit, adiiciendo *hic desunt sex pagellae*: quem ob hanc ipsam caussam haud dubito ex Periz. descriptum putare. Addere iuvat, Suetonii opus in eo inscribi eodem prorsus modo quo in Harl. et Parisiensi; aliter Perizonianus, cuius inscriptionem librorum illorum scriptores si invenissent, abiecturi non fuissent.

Hafniensis.

V. not. ad Gr. 2, 2. p. 33.

Venetianus,

sic appellatus a Massmanno l. l. p. 19, qui uberrimam eius descriptionem exhibuit. Inter scripta miscella saeculi XV praeter Taciti Germaniam is codex, quondam Patavinus, deinde Venetias in Marcianam translatus, continet Fol. 166^b—184^b „Suetonius Tranquillus de grammaticis"; cuius sub finem legitur: „Opus absolutum Bononiae anno dñi M CCCC LXIII. Ad petitionem Io. Marchanove [artis et medicinae doctoris Patavini]." Scriptus est eadem manu qua Germania.

Codices a me ipso collati vel primum adhibiti.

Harleianus (Harl.).

Cod. olim Harleianus 2639, nunc bibl. Musei Britannici illatus, membr. forma octava scriptus, de quo v. Catal. Codd. Mss. Harl. T. II. p. 704, praeter Suetonii libellos, qui inscribuntur *Suetonii tranquilli de grammatis et rhetoribus*, continet illis subiectum Dialogum de oratoribus, hunc in modum fol. 15 *a* in fronte inscriptum: *C. Cornelii Taciti equitis Romani dialogus de oratoribus claris feliciter*

incipit. Sub finem Suetonii adiectum: *Hic antiquissimum exemplar desinit et non integrum videtur. Suetonii Tranquilli finis.* Quibuscum iungenda quae in ultima codicis pagina h. e. fol. 43. *b* ab eadem, ut videtur, manu scripta leguntur: *L. A. 1462.* Praecedunt his sequentia, quem ad modum in codice reperi, a me descripta;

Parva zebor tibi parva domus es corpore parvum . .
et brevis est tumulus et breve carmen habe
Mapheus Vegetius
Furum moeror heri spes quondam gone catelle
hic nunc spes furum moeror herique iaces.

Auctor horum ingenii lusuum, quibus epitaphium in catellum, in deliciis a nescio quo habitum, zebor nomine scriptum exhibetur, est Maffaeus Vegius ille, ut opinor, qui in urbe agri Mediolanensis Lodi a. 1407 natus quum alia multa diversi generis scripta, tum etiam poemata reliquit *): in quibus an lusus illi reperiantur, pervestigare ob inopiam supellectilis litterariae, qua laboro, mihi non licuit. Ista vero qui codici adscripserit poetam Veium ipsum non fuisse, ostendit error nominis, a scribae indocti vitio repetendus: ceterum eius nominis elementa aegrius hodie dispiciuntur, quum ipse in legendo haesissem, ne potius *Vegotius* in codice scriptum esset. Quidquid huius rei est, Vegii certe poematio is qui codicem exaravit a. 1462, uti potuit. Iam vero si quod supra exposuimus pro certo haberi potest, Suetonii codicem, qui Suetonianos libellos contineret, ex Gallia vel Germania in Italiam per Henochum haud diu ante a. 1460 translatum esse, quum praesertim credibile non sit,

---

*) Persimile supra editis epigramma Vegii est in Culicem Vergilianum, quod refertur a Cyriaco Anconitano Commentariorum novis fragmentis, Pisauri 1763, p. 2:

Aurea, quam quondam deflevit, Musa Maronis,
nunc hoc chrysoliti [sic] *claudor in orbe culex.*
Aurea Musa fuit, tumulus simul aureus ipse est,
quem miserans etiam struxit Apollo mihi.

subscriptionem illam in Harleiano repertam ex altero codicis Henochiani apographo repetitam esse, non poterit non ita statui, Harleianum exemplum ex veteri illo codice descriptum esse. Addo quod quominus Harleianum ex Ioviani apographo descriptum censeamus, id obstat quod quae Iovianus libro suo ipse adiecit, subsequens scriba neglecturus haud quaquam fuisset. Codicem contuli Londini a. 1851.

Parisiensis (Par.).

Codicis olim Colbertini n. 6150, quo n. refert Montefalconius Bibl. bibliothecar. T. II. p. 1013. D, nunc n. 7773, collatione accuratissima, ut fertur, a Leclusio sibi commodata Wolfius, cuius v. Praef. p. 11, instructus, his copiis ita usus est, ut lectiones variantes locis suis, ubi videretur, commemorarit: quod quum rarius pro exspectatione nostra factum sit, quamvis ipse Wolfius codicem in bonis retulerit ad Gr. c. 1. init. eundem ipse Parisiis a. 1849 iterum evolvi contulique diligenter. Eundem appellavi non solum quod alterum bibliothecam illam non servare per alios, quos ea de re diligenter quaerere iussi, edoctus sum *), sed quod etiam collationem meam cum lectionibus a Wolfio traditis tantum non omnibus locis conspirare animadverti. Discrepant vero Gr. c. 10 *historiam;* c. 11 *miratur;* c. 11 *hemicyclium,* ad quos locos v. notata. Huius iam codicis cum Harleiano tanta intercedit necessitudo, ut unum ab altero descriptum esse credideris. Ac primum pariter atque Harleianus Dialogum de oratoribus Parisiensis continet, et utrumque opusculum, Suetonii et Taciti, eodem modo inscriptum. Item prorsus conveniunt in subscriptione sub finem libelli de Gramm. apposita, de qua v. suo loco notata. Tum mira est vel in ipsis vitiis scripturae conspiratio, veluti Gr. c. 11 in dittographia v. *extremam;* c. 21

---

*) Qua fide fretus Massmannus p. 193 asserat, in bibl. Paris. hodie servari duos Suetonii codices, unum olim Petavii, alterum Pithoei, prorsus ignoro.

Micenati. Rhet. c. 1 *sala* pro *Messalla;* vel in orthographia prava, ut Gramm. c. 5 *Niganor,* c. 8 *cohactus*.. Conveniunt etiam in lectionibus singularibus, ut *mersisse* pro *transiisse* Gr. c. 4. *feruntque* pro *fecitque* et *dicit* pro *diem* c. 5. Eadem nonnumquam scribendi compendia, quorum insigne exemplum est c. 8 *·n·* pro *Ennii*. Eaedem lacunae Rh. c. 5 post *obiicit* et Gr. c. 4 post *remoto*. Perraro notatur discrepantia aliqua, ex errore vel mala scribae sedulitate facile expedienda: nam quodsi Rh. 2 *virorum* a Par. pro *hominum* exhibetur, id ex interpolatione natum esse potest: quemadmodum etiam negligentiae omissio v. *appellat* eiusdem cap. sub finem, vel v. *id* c. 6 fin. tribui potest. Hactenus recte omnia procedunt. At una exstat differentia, non ita facile expedienda, cuius origo utique me latet, si non ex correctione repetenda est, Gr. 24, ubi Harl. *se,* Par. cum ceteris libris recte *omnes*. Etiam maiorem scrupulum iniicit, quod c. 9, ubi Harl. cum ceteris tantum non omnibus libris *filium* exhibet, eius loco Par. scribendi compendium significationis incertae offert, a scriba eius ignaro ex codice suo fideliter repetitum. Qui locus hanc habet vim, ut quae de cognatione utriusque codicis supra posita sunt plane convellat: neque quod quis putare possit, ex Harl. descriptum fortasse esse Parisiensem, concedi potest propter testimonium subscriptoris de fonte, unde hauserit, Harleiano sub finem adiectum, quod Parisiensis librarius neglecturus non fuisset, dum rursus propter hoc ipsum testimonium ex Parisiensi Harleianus codex ductus esse non potest. Postremo unum librum ab altero descriptum non esse, manifestum ex c. 6, ubi Harl. *primo,* scilicet recte explicato compendio *p̃ro,* quod in codice suo scriba deprehenderat, Par. autem *patrio,* quod scriba compendio illo contineri falso existimabat, homo ineruditus et negligens, qui scriberet *Athenis* pro *Atteius* et quum in compendiis scripturae expediendis parum exercitatus esset, *impensius* pro *ipsius,* c. 7. Haec quum ita sint, quemadmodum de archetypo Harleiani censuimus, idem necesse

est etiam de Parisiensi statuamus, videlicet descriptum eum esse pariter ex illo Henochi codice, qui ut Perizoniano et Harleiano ita Parisiensi quoque pro fundo fuerit.

Ancipitis iudicii incidit quaestio num cum Parisiensi idem sit qui Oudendorpio Vossianus vel plerumque nomine *Coll. Voss.* appellatus est. Quodsi Wolfius, applaudente, ut videtur, Massmanno p. 193 negare videtur, quandoquidem horum codicum auctoritatem iuxta apponit, veluti ad *miretur* Gr. c. 11, huic sententiae favet quod c. 2 ex solo Voss. affertur *missis* pro *missus*, quod cum ceteris libris omnibus Par. tenet; tum quod c. 23. Voss. *praesagante* exhibet, insuper in solo P. repertum. Adde quod Gr. c. 1 Oudendorpius ex Casauboni coniectura non editurus fuisset *Graeca*, si in Voss. *Graecos* reperisset, quod exhibet Par. Sed neque de hoc loco, neque de aliis, quibus quae in Par. leguntur ex Voss. non afferuntur, certa statui potest sententia, quoniam ignoramus, num continuam Codicis collationem Vossius dare voluerit vel potuerit. Ceteroquin in plurimis Par. cum Voss. consentit, ut adeo idem in utroque compendium scribendi c. 9, ubi v. notata, reperiatur: ex quo consensu consectarium est statuere, codicem, cuius lectiones Collatio Vossiana praestat, aut ex Henochiano, quod aegre credas, aut ex Parisiensi descriptum esse. Atque sic ut censeam compellor conditione cod. Petaviani recte aestimati. Is enim non solum cum Voss. plerumque conspirat, quod iam Oudendorpium, opinor, adduxerat ut ex eo Coll. Voss. ductam existimaret, sed etiam cum Par., veluti in *fuit* Gr. c. 10. Quid multa? Unus est et fuit Parisiensis codex, idem qui olim Petavii erat, et quo Vossius in Collatione sua concinnanda usus est. Atque constat complures Petavianos codices in Colbertinam, quae in regiam Parisiensem cessit, transiisse. Illud de Petaviano pro re certa sumi potest, quamquam etiam alterum codicem, Petri Pithoei, Parisiis eodem fere tempore exstitisse constat, quem cum Petaviano aliquamdiu unum eundemque fuisse, atque ex Pithoei manibus in Petavii transiisse existimabam, donec ani-

madverti Casaubonum, cuius verba supra exscripsi, diserte unum ab altero secernere. Atqui Casaubonus horum codicum, quorum neutrum ipse inspexit, lectionesque per Bongarsium suum secum communicatas*) passim una voce „scriptae lectionis“ vel „librorum scriptorum“, simul ceterorum, veluti Ach. Statii, ratione habita appellare videtur, passim suo quemque nomine laudatum iuxta apponit, veluti c. 2 *Philocomus*, c. 18 *Sexti*, vel Pithoeanum etiam singulatim, c. 2 *retractarent*. Ut patet igitur diversos esse libros Petavianum et Pithoeanum, ita uterque, quantum quidem ex rara lectionum Pithoeani mentione iudicari licet, tantopere inter se discrepant, ut dum ille cum Parisiensi plerumque consentit, huius conditio plane singularis sit, quandoquidem is non solum a Par. sed etiam a ceteris codd. ita discedit, ut nonnullas lectiones solus exhibeat. Cuius rationis exemplum praestat eius scriptura Gr. 2 in verbis *Hactenus tamen imitati — nota facerent;* adde quod c. 4 pro *nomine* exhibet *Rom.*, invitis libris ceteris omnibus; vel *intentissimum* pro *ineruditissimum* c. 15 solus praestat. Nolo plura, quum quae protuli eius scripturae exempla satis ostendant, nihil ei cognationis esse neque cum Par. et Coll. Voss. neque cum Petav. Conspirat omnium maxime cum Berolinensi neque raro. Atque hic cum illis quos modo nominavi codicibus comparari nequit. Sunt vero rursus et haec exemplaria diversa, quod vel lectio modo ex c. 15 excitata testatur, quae a Berol. abest. Quid igitur? Vix poterit aliter statui quam Pithoeanum ex alio fonte fluxisse, et quidem transcriptum esse ex Henochiano, sed in describendo interpolatum, quo v. c. illud *Rom.* male adiectum refero, (nisi librarii error est *nomine* per compendium scriptum non capientis) vel etiam ob difficilem scripturae intellectum vel ambiguitatem corruptum. Hic vero codex ubi terrarum nunc delitescat incompertum habeo.

*) Cf. praeterea Casaub. Epist. XVIII. p. 27 (ed. Brunsvigae 1656). Alium vero codicem Caesares continentem, de quo verba fecit Praef. ad init. Caes., ab ipso possessore P. Pithoeo sibi commodatum habebat. V. Epist. ad Pithoeum XL. p. 54.

Berolinensis (B.).

Quonimus hunc codicem in bibl. Regia Berolini servatum accurate describam, otium fecit Wilken Gesch. d. K. Bibl. zu Berlin p. 225. Aetatem, qua conscriptus est, prodit subscriptio: „Antonius Sinibaldus Florentinus illustrissimi Domini Dō Ioannis de Aragonia familiaīs excripsit Neapoli MCCCCLXXVII. Iun. XXV.“ A codicibus iis, quorum conditionem accurate nosse nobis contigit, h. e. P. Par. et Harl., eo differt, quod dum hi Dialogum de oratoribus una exhibent, ille eius loco Vitas Caesarum ab eadem manu scriptas continet, tum quod eo tempore conscriptus est, quo libelli de Gramm. et de Rhet. typis iam expressi fuerunt. Ex impresso autem exemplo eum descriptum esse, haudquaquam credibile est, quum multas praestet lectiones peculiares, quae ab ea certe editione anteriore, quam unice inspicere mihi licuit, absunt. Immo cum P. Par. et Harl. plurimis locis conspirat, aut in discrepantia nonnumquam scripturam puriorem exhibet: neque tamen ex P. descriptus est, quod vel unus locus Rhet. 1 *recogniti sunt* ostendit, ubi quamquam idem scripturae vitium offert, tamen correctura destituitur, quae in P. legitur. Ex uno autem fonte fluxisse eos omnes libros, testatur tum communis universis conditio libelli de Rhet. sub finem mutili, tum mirificus ille consensus in lacunis, veluti Gr. c. 7 fin.: ex quo tamen, quantum ad B., non consequitur ut eum ex P. descriptum credamus; nonnulla enim habet propria quae certe a P. absunt. Proxime tamen accedit ad P. quicum in nonnullis peculiariter conspirat, velut Rhet. 6 in v. *tamen non* et ibidem in falso explicata scriptura *personalem* pro *proconsulem*. Ceterum non ipse contuli, sed eius quum notitiam ab eo inde tempore haberem, quo numquam satis praedicanda liberalitate a bibliothecae praefectis mihi adolescenti data librorum impressorum scriptorumque thesauros eius bibliotheae rimandi venia usus, etiam in hunc codicem incidissem nonnullasque lectiones variantes in chartis retulissem, Io. Ehlinger Wetzlariensis, Seminario phil. Gis-

sensi sodalis nomine quondam adscriptus, quum studiorum caussa Berolini a. 1850 versabatur, a me rogatus contulit et mecum qua fuit erga me bona voluntate communicavit, labore hoc diligenter peracto et de me et de litteris ipsis bene meritus.

Tantum de codicibus. Ad libros impressos transituro mihi una de editione verba facienda sunt, quae ex antiquioribus sola praesto fuit, in bibl. Gottingensi asservata: quam amicus, numquid antiquorum exemplorum in supellectili illa litterarum instructissima adesset a me rogatus, liberaliter mecum communicavit, indice anni, loci, typographi destitutam: cuius de origine et auctoritate haerenti succurrit adnotatio exemplaris involucro plumbo adscripta: „Venetiis per Nicol. Jensonum circa a. 1471", laudato simul Catalogue de la bibl. de Bolognaro-Crevenna T. IV. p. 218. Ac rem ita habere cognovi Catalogo illo inspecto, cuius verba transcribam, exemplaris huius rarissimi notitiam luculenter ita exhibentia:

„7335. Suetonii Tranquilli de Grammaticis et Rhetoribus clarissimis Libellus. *Sine anno, loco et typographo* (*sed Venetiis per Nicolaum Jenson, circa* 1471) in 4. vél.

La totalité de ce volume est de 15. feuillets imprimés à longues lignes de 24. sur chaque page entière, et sans chiffres, signatures et réclames.

Il commence par l' intitulé ci-dessus distribué sur 3. lignes et tout en lettres capitales.

La derniere ligne est comme suit:

cibo. FINIS AMEN"

Haec indicia adamussim conveniunt cum exemplo Gottingensi, ut quum nullum iam relinquatur dubium, non haesitaverim lectiones inde ductas nota *Ven.* designare, eo minus spernendas, quod a nullo nostra memoria editore eam editionem in subsidiis habitam vidi. Quid? quod eam auctor recensus editionum Suetonii Bipontinus ignoravit cum Hasio,

quum eum recensum in editione Suetonii Lemairiana (Tom. XCV) typis repetendum curaret T. I. p. XXII, nisi forte eadem est quae ad a. 1499 breviter his significatur: »Suetonius de Grammaticis et Rhetoribus claris libellus, 4. min. s. a. l. et typogr. — Panzer T. IV. p. 197;" ignoravit aeque in censura editionum huius libelli antiquarum Graefenhanus Gesch. d. Philologie. T. IV. p. 449. Haec editio iam pro principe habenda est, quandoquidem anterior adhuc afferri nequivit. Notemus vero eodem anno etiam Caesarum Vitas in lucem per eundem Iensonum emissas esse, forma tamen maxima impressas, ut pro eius editionis appendice haberi non possit. Quantum ad contextus exemplum a Ven. exhibitum, cum Par. et Harl. maximopere conspirat, passim adeo in vitiis scripturae, veluti *sala* pro *Messalla* Rhet. 1, sed tamen non ita ut ex altero utero illorum codicum expressum esse possit: nonnulla enim habet peculiaria, quae nisi interpolatricem manum immane grassatam dixeris, ex neutro adsumi potuerunt. Verum tamen tantus rursus est trium horum librorum consensus, ut eiusdem familiae, quae Henochianum codicem habuisset patrem familias, fuisse putentur. In hoc rei statu tametsi pro exempli antiquitate et novitate ad pernoscendam universam materiam criticam operae pretium duxi eius scripturam, nonnullis quae ad orthographiam spectant exceptis, integram commentariis inserere, tamen me non fugit, fructum diligentiae meae magis in novi instrumenti adhuc neglecti apparatu quam in novo contextus restituendi adminiculo constare, quum insuper accedat mira operarum in exprimenda scriptura socordia, ut vel pro *conspectu* Rhet. 6 *corupectum* exhibitum sit. Haec quum ita essent, non admodum sollicitus fui de posterioribus Veneto conquirendis exemplaribus impressis, de quibus v. Grafenhan l. l. quum praesertim quae inde ductae ab editoribus subinde afferantur lectiones, nihil eas praestare viderim, quod non ex puriore fonte, h. e. ex libris scriptis meis praesto esset: qualis v. c. est Florentina a. 1478 vulgata, qua usus primum est Ernestius, quem vide ad Gr. 2,

cuiusque scripturam ex margine editionis Scriverianae descriptam exhibuit integram BCrusius T. I. p. XLII. coll. p. XV; vel Mediolanensis, Graefenhano ignorata, quam Casaubonus passim laudat, codicis nonnumquam nomine (Gr. 9 *occasione*), ab ipso non prius inspectam quam quum Bongarsio de perdito huius exemplari conquestus esset, aliud nactus fuerat *). Nec tamen vetustiorum editionum notitiam prorsus exclusi, praesertim quum apud superiorum aetatum editores eas aliquam auctoritatem nactas esse viderim. Sed in expilandis horum memoriis standum duxi, servata eadem, qua isti usi sunt, appellatione *Vet. impr.* vel *ed.*, de ipsarum nomine et conditione haud magis sollicitus quam de *Ed. pr.* quam nucuparunt: quae editio an hoc nomine digna sit, neque lubuit neque potui explorare; quod ideo moneo, quod in adnotatione iuxta *Ed. pr.* nonnumquam appositam reperies *Ven.* quae illi, ut dixi, aetate anteponenda esse videtur.

Summa eorum, quae adhuc disputata sunt, haec est, quae tribus verbis explicari potest. Exstitit unus codex minusculis litteris decimo fere saeculo exaratus, quem nunc in deperditis numeramus, quem tamen fortuna favente aliquando recuperatum iri sperare licet, praeter Suetonium Taciti Germaniam et Dialogum de oratoribus continens, ex Germania et Hersfeldia, ut non improbabiliter suspicatus est Massmann p. 181. 182 et 184, in Italiam per Henochum Asculanum delatus. Ex hoc omnium quotquot nunc novimus Suetonii codicum et quae ex iis ductae sunt editionum veterum una promanavit familia, ex qua qui oriundi sunt tamquam consanguinei eo inter se differunt, quo unus vel alter parenti similior est, nullus vero parentis imaginem non refert. Hoc ita habere, facile sibi persuadebit qui universalem, quae inter codices cunctos adhuc notos inter-

*) V. Casauboni Epistolae p. 31.

cedit, concordiam observarit: de qua pluribus exponere iam nil opus. Quae ea de re allata sunt, firmabo insuper eius concordiae mirabilis exemplo uno, quod in omissione verborum Tullianorum *omnino-tibi* Gr. c. 14 constat. Tum codicum haec est conditio, ut quisque ex archetypo descriptus esse videatur. Nam quod aliquis opinetur, si non omnes codices, unum certe aut alterum ex Perizoniano apographo ductum esse, id tantum abest ut comprobari possit, ut contrarium ex diligenti unius cuiusque examine colligatur *). Neque rursus probari potest, quod factum esse nonnemo crediderit, meorum librorum unum ex altero descriptum esse: quod quatenus verum sit, in singulo quoque codice constituere studui. Mirus tamen, ut nihil reticeam, consensus in lectione a P. discrepante c. 9 modo notata. Ad sententiam a me propositam firmandam adde quod eandem rationem esse codicum Germaniae (adde Dialogi) superstitum ostendit Massmannus, quorum scriptorum Tacitinorum exempla non ante a. 1460, paucis post annis quam archetypum per Henochum Italis innotuerat, eiusdem Massmanni, quem vide p. 1. 170 sq. 176, de sententia confecta sunt, simul p. 194 docentis, hos Taciti codices editionesque principes non ex apographo, quod Iovianus Pontanus conscripsisset, sed ex veteri illo exemplari profluxisse. Itaque uno eodemque fato inter se vincti sunt et Suetonii libri de gramm. et rhet. et Taciti Germania cum Dialogo, quippe uno codice servati, multiplicis prosapiae auctore: quo simul explicatur qui factum sit, ut tria illa

*) Documenti loco unum caput 7 de Gramm. affero, ubi librarii, qui recte nunc *Dionysii* exhibent, *Dionis*, quod P. habet, hunc si descripsissent, secure transcripturi fuissent. Neque nomen *Atteius* ibidem, si tam distincte, ut nunc fertur, P. scriptum obtulisset, in Par. et Harl. in absurdam lectionem *Athenis* transformatum esset. Addo singularem discrepantiam c. 9. in v. *occasione* a solo P. suppeditatam, cuius loco ceteri libri cuncti *sermone*. Idem consensus, eadem discrepantia c. 17 v. *inclaruit*.

veterum scripta una eademque opera descripta in plerisque codicibus hinc confectis iuncta plerumque reperiantur. Horum vero exemplorum unum vel alterum ante confectum putare quam Henochus ex Germania archetypum abstulerit, id eorum forma et specie novitia luculenter redarguitur. Patet simul Suetonii (Tacitum iam mitto) codicum esse nullum, qui sua non gaudeat iuxta ceteros auctoritate, ut iuncta cunctorum demum collatione quid quoque loco in archetypo scriptum fuerit cognosci possit: tum si qui statuendi sunt aliqui praestantiae ipsorum gradus, eos ex fide et diligentia ea constituendos esse, qua quodque exemplum confectum putari debet. Haec reputanti in codicum superstitum aestimatione dubium nullum est, quin omnes hac ratione antecellat Perizonianus, quippe qui ab homine et diligenti et Latini sermonis in paucis gnaro, qualis Iovianus Pontanus fuit, confectus sit: qui liber si fide et auctoritate ceteris anteponendus est, tamen non ea eius est virtus, ut errore careat: quin accidit, ut bonitate scripturae non semel ceteris cedat. Quare in constituendo contextu hanc regulam tenui, ut P. utique sequerer ducem, nisi ubi meliora unus aut alter ceterorum suppeditaret; omnium vero lectiones, ne cui iuris quidquam sui detraheretur, apponerem integras. Ubi igitur discrepantiae nihil a me notatum, puta in recepta lectione consentire codices meos universos una cum Ven.: in exponendo autem cuiusque loci statu ut nihil dubitationis de cuiusque libri scriptura relinqueretur, ita saepe versatus sum, ut eos etiam in consensu nominatim appellarem. Citra codicum fidem nihil mutavi; quod sicubi factum est, id diligenter a me adnotatum est. Ceterum Perizoniani scripturam quod penitus nunc pernoscimus, acceptum Ritschelio ferimus, qui quum ex codice Lugduno Bonnam transmisso in exemplo quod Trossius exhibuisset perspiceret codicem non ea qua par esset diligentia expressum esse, denuo conferendi laborem sustinuit lectionisque varietatem Parerg. Plaut. p. 610 vulgavit, a me notatam PR: quae, ut res nunc est, pro ipsa

librarii manu haberi debet. In ceteris vero subsidiis ante me ab aliis adhibitis hanc viam sequendam putavi, ut quas sparsim raptimque enotatas reperissem lectiones, quum cuiusque libri integram scripturam minime repraesentarent, has suo quoque loco adscriberem iisdem librorum nominibus, quibus ab iis qui adhibuerunt appellatos viderem: qua quidem ratione factum est, quod evitari neque poterat neque in re omnibus partibus haudquaquam certa debbebat, ut qui iidem nostra de sententia sunt codices, diversis tantum nominibus discreti, iuxta nonnumquam allati sint. Ceterum ab illustratione rerum a Suetonio traditarum abstinendum duxi, ne prolixioribus contextum onerarem commentariis, continua oratione alibi melius explicandis.

Restat ut de inscriptione libellorum Suetonii dicatur, quos quum iam constet amplioris operis partes fuisse disiunctas, nil mirum simplici ab sola argumenti ratione petito titulo eos insignitos esse, ita ut *de grammaticis* et *de rhetoribus* appellarentur. Atque ita rem habere, fidem facit ipsa codicum auctoritas. Nam ficta est quae vulgo fertur libellorum inscriptio *de illustribus grammaticis et de claris rhetoribus*, nullo, quantum sciam, libro Ms reperta, nisi in B. quo alter liber inscribitur *de illustr. grm̄ticis*, alter *de rhetoribus*, si modo haec fideliter de codice enotata sunt. Harl. et Par. *Suetonii tranquilli de grammaticis et rhetoribus.* Voci *rhetoribus* addit Ven. *clarissimis.* Vatic. 4498 (*R* Massmanni) *C. Suetonij Tranquilli historici de Grāmaticis prohemium,* continuo sequente Indice grammaticorum, tum *De inventione grammatices.* Vatic. 1862: *Suetonius trāqllus De grammaticis et rhetoribus;* item Vatic. 1518, praemisso praenomine *C.* Venetianus simpliciter *de grammaticis,* Neapolitanus *C. Suetonii Tranquilli de grammaticis et rhetoribus incipit.* Vulgatae inscriptionis vocem *illustribus* Oudendorpius adnotavit a collatione Voss. abesse. Item omittit P. inscriptus: *Caii Suetonii Tranquilli de viris illustribus liber incipit,* quibus nemo nunc non videt ipsum amplioris operis, ex quo libelli excerpti sunt, titulum ex-

hiberi: nam quod Indici grammaticorum in eodem P. praefigitur *grammatici illustres*, id non morandum. Simulque iam patet unde epitheton illud arcessitum sit. Illo enim modo Suetonii opus in fronte inscriptum fuisse, luculenter ostendit Hieronymus, qui libro suo de *viris illustribus* inscripto *) Tranquilli opus se imitatum esse in praefatione ad Dextrum **) non solum confessus est, sed ipso *virorum illustrium* nomine appellavit. De inscriptione libelli de rhetoribus dictum ad huius initium.

Postremo ut nihil omitterem utilitatis quod ex P. peti posse videretur, utrumque Indicem tam grammaticorum quam rhetorum, ipsi libellorum Suetonii contextui, teste Massmanno l. l. p. 8, in P. praefixum retinui, quorum illum qui grammaticorum nomina continet, cum Oudendorpio abiecerunt et Wolfius et BCrusius, fortasse quod is auctoritatis dubiae esse videretur. Neque magna est alterius fides, quandoquidem uterque absunt a Par. Harl. Ven. et, quantum quidem ex silentio conferentis iudicari licet, B. De quo Indice Oudendorpius ad Rhet. 1: „Catalogus hic praefigitur Msstis per Achillem Statium et Casaubonum inspectis, quem etiam suis Editionibus adtexuerunt Casaub. et Gronovius." De Casauboni libris nihil in comperto habeo: de duobus Vaticanis suis Achilles Statius ipse testatur, rhetorum catalogum libello de rhetoribus praefixum, inde excerptum sub calcem libelli de rhet. exhibens. De altero autem Indice nihil traditur, reperto in uno certe Vaticano 4498, cuius accuratam notitiam debemus Massmanno l. l. p. 14: in quo codice cuique suus libello Index praefixus exstat, secus atque in P. Hi vero soli superstites vel mihi quidem noti libri, in quibus uterque catalogus adiectus legitur. Cuius, quum a nescio quo olim confectus exemplis adtextus esset, pars ea, quae rhetoras amplectitur, tum quum liber de rhetoribus mutilatus esset, ob

*) De operis inscriptione v. Vallars. T. II. p. 815.

**) Adde Epist. 47 ad Desiderium.

argumenti gravitatem retenta videtur, abiecta altera parte, ut re in libro integro superflua. Quam ipsam ob caussam etiam Achilles Statius non tanti putasse videtur, quem in libris suis reperisset Indicem transcribere, quippe brevitati studens: quod vel inde clarum fit, quod ne nota inutiliter repeteret, in Indice rhetorum, quorum vitae servatae essent, nomina adscribere sciens neglexit. Hoc vero eo magis dolendum, quod etiam in Catalogo grammaticorum nonnulla reperiuntur, quae ex Suetonii ipsius opere disci nequeant, vel alia de caussa notatu digna sunt. Est igitur aliqua sua his Indicibus fides, minime spernenda. Quare utrumque Indicem exemplum P. secutus repetendum eodemque quo in codice collocatur loco curavi. Haec vero ipsa sedes documento esse potest, Suetonii operi utrumque Indicem extrinsecus adsutum esse: quod, si alia insuper probatione indiget, vel ex eo cernitur, quod in P. in operis inscriptione subiecta de *viris illustribus* agi dicitur.

C. SVETONII TRANQVILLI

DE

GRAMMATICIS ET RHETORIBVS

LIBELLI.

GRAMMATICI ILLVSTRES.

RHETORES.

Plotius gallus.
L. otacilius pilatus.
M. epidius.
Sextus clodius.
C. albutius silus.
L. cestius pius.
M. porcius latro.
Q. curtius rufus.
L. valerius primanus.
Virginius flavus.
L. statius ursulus.
P. clodius quirinalis.
M. antonius liberalis.
Sex. iulius gabinianus.
M. fabius quintilianus.
Iulius tiro.

DE GRAMMATICIS.

I. Grammatica Romae ne in usu quidem olim, nedum 1. in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque eius mediocre exstitit: siquidem 2. antiquissimi doctorum, qui iidem et poetae et semigraeci erant (Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse notum est) nihil amplius quam Graecos interpretabantur, aut si quid ipsi Latine composuissent, praelegebant. Nam quod nonnulli tra- 3. dunt, duos libros de literis syllabisque, item de metris, ab eodem Ennio editos, iure arguit L. Cotta non poetae, sed posterioris Enni esse, cuius etiam de augurandi disciplina volumina ferantur.

II. Primus igitur, quantum opinamur, studium gram- 1. maticae in Urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium Punicum bellum, sub ipsam Enni mortem, cum regione Palatii prolapsus in cloacae foramen crus fregisset, per omne legationis simul et valitudinis tempus plurimas acroasis subinde fecit, assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imi- 2. tandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel siquo-

rum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent: ut C. Octavius Lampadio Naevi Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros: ut postea Q. Vargunteius Annales Enni, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat: ut Laelius Archelaus Vettiusque Philocomus Lucili Saturas, familiaris sui: quas legisse se apud Archelaum Pompeius Le-
3. naeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant. Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus generque Aeli Ser. Clodius, uterque eques Romanus, multique ac varii et in doctrina et in re publica usus.

1. III. Aelius cognomine duplici fuit: nam et Praeconius, quod pater eius praeconium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat: tantum optimatium fautor, ut Q. Metellum
2. Numidicum in exilium comitatus sit. Servius cum librum soceri nondum editum fraude intercepisset, et ob hoc repudiatus pudore ac taedio secessisset ab Urbe, in podagrae morbum incidit: cuius impatiens, veneno sibi perunxit pedes et enecuit, ita ut parte ea corporis
3. quasi praemortui viveret. Post hos magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quominus et ipsi aliquid de ea scriberent, utque temporibus quibusdam super viginti celebres scholae fuisse in Urbe tradantur; pretia vero grammaticorum tanta, mercedesque tam magnae, ut constet, Lutatium Daphnidem, quem Lenaeus Melissus per cavillationem nominis Πανὸς ἀγάπημα dicit, septin-

gentis milibus nummum a Q. Catulo emptum, ac brevi
manumissum: L. *Apuleium*, ab Eficio Calvino, equite
Romano praedivite, quadringenis annuis conductum mul-
tos edocere. Nam in provincias quoque grammatica 4.
penetraverat, ac nonnulli de notissimis doctoribus pe-
regre docuerunt, maxime in Gallia togata: inter quos
Octavius Teucer, et *Pescennius Iacchus*,
et *Oppius Chares*: hic quidem ad ultimam aeta-
tem et cum iam non ingressu modo deficeretur, sed
et visu.

IV. Appellatio *grammaticorum* Graeca con- 1.
suetudine invaluit: sed initio *literati* vocabantur.
Cornelius quoque Nepos libello, quo distinguit *lite-* 2.
ratum ab *erudito*, *literatos* vulgo quidem ap-
pellari ait eos, qui diligenter aliquid et acute scien-
terque possint aut dicere aut scribere: ceterum proprie
sic appellandos poetarum interpretes, qui a Graecis
grammatici nominentur. Eosdem *literatores* 3.
vocitatos Messalla Corvinus in quadam epistola osten-
dit, non esse sibi, dicens, rem cum Furio Bibaculo,
nec cum Ticida quidem, aut literatore Catone: signi-
ficat enim haud dubie Valerium Catonem, poetam simul
grammaticumque notissimum. Sunt qui *literatum* a 4.
literatore distinguant, ut Graeci *grammaticum* a
grammatista, et illum quidem absolute, hunc medio-
criter doctum existiment, quorum opinionem *Orbilius*
etiam exemplis confirmat. Namque apud maiores ait, 5.
cum familia alicuius venalis produceretur, non temere
quem *literatum* in titulo, sed *literatorem* inscribi
solitum esse: quasi non perfectum literis, sed imbutum.
Veteres grammatici et rhetoricam docebant; ac mul- 6.

torum de utraque arte commentarii feruntur, secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, quamquam iam discretis professionibus, nihilominus vel retinuisse vel instituisse et ipsos quaedam genera institutionum ad eloquentiam apparandam, ut problemata, paraphrasis, allocutiones, ethologias, atque alia hoc genus, ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur: quae quidem omitti iam video, desidia quorundam et infantia: non enim fastidio putem.
7. Me quidem adolescentulo reputo quendam, Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis mane vero disserere, post meridiem remoto
8. pulpito declamare solitum. Audiebam etiam memoria patrum nostrorum quosdam e grammaticis statim e ludo transisse in forum, atque in numerum praestantissimo-
9. rum patronorum receptos. Clari professores, et de quibus prodi possit aliquid dumtaxat a nobis, fere hi fuerunt.

1. V. Saevius Nicanor primus ad famam dignationemque docendo pervenit: fecitque praeter commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, Saturam quoque: in qua libertinum se ac duplici cognomine esse, per haec indicat:

Saevius Nicanor Marci libertus negabit:
Saevius Postumius idem ac Marcus docebit.

2. Sunt qui tradant, ob infamiam quandam eum in Sardiniam secessisse, ibique diem obisse.

1. VI. Aurelius Opilius, Epicurei cuiusdam libertus, philosophiam primo, deinde rhetoricam, novissime
2. grammaticam docuit. Dimissa autem schola, Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus, ibidem Smyrnae

simul consenuit: composuitque variae eruditionis aliquot volumina; ex quibus novem unius corporis, quia scriptores ac poetas sub clientela Musarum iudicaret, non absurde et fecisse et scripsisse se ait ex numero Divarum et appellatione. Huius cognomen in plerisque 3.
indicibus et titulis per unam literam scriptum animadverto: verum ipse id per duas effert in parastichide libelli, qui inscribitur Pinax.

VII. Marcus Antonius Gnipho, ingenuus, in 1.
Gallia natus, sed expositus; a nutritore suo manumissus, institutusque Alexandriae quidem, ut aliqui tradunt, in contubernio Dionysi Scytobrachionis (quod equidem non temere crediderim, cum temporum ratio vix congruat) fuisse dicitur ingenii magni, memoriae singularis, nec minus Graece quam Latine doctus: praeterea cōmi facilique natura, nec umquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate discentium consecutus. Docuit primum in Divi Iuli domo pueri, 2.
deinde in sua privata. Docuit autem et rhetoricam, 3.
ita ut quotidie praecepta eloquentiae traderet, declamaret vero non nisi nundinis. Scholam eius claros 4.
quoque viros frequentasse aiunt: in his M. Ciceronem, etiam cum praetura fungeretur. Scripsit multa, quam- 5.
vis annum aetatis quinquagesimum non excesserit: etsi Atteius Philologus duo tantum volumina de Latino sermone reliquisse eum tradit: nam cetera scripta discipulorum eius esse, non ipsius: in quibus et suum alicubi reperiri nomen, ut hoc — —

VIII. Marcus Pompilius Andronicus, na- 1.
tione Syrus, studio Epicureae sectae desidiosior in professione grammaticae habebatur, minusque idoneus

2. ad tuendam scholam. Itaque cum se in Urbe non solum Antonio Gniphoni, sed ceteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas transiit, ibique in otio vixit, et multa composuit; verum adeo inops atque egens, ut coactus sit, praecipuum illud opusculum suum Annalium Enni Elenchorum sedecim milibus nu-
3. mum cuidam vendere. Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dicit, vulgandosque curasse nomine auctoris.

1. IX. Orbilius Pupillus Beneventanus, morte parentum una atque eadem die inimicorum dolo interemptorum destitutus, primo apparituram magistratibus fecit: deinde in Macedonia corniculo moxque equo meruit: functusque militia studia repetiit, quae iam inde a puero leviter attigerat; ac professus diu in patria, quinquagesimo demum anno Romam, consule Cicerone, transiit: docuitque maiore fama quam emolumento.
2. Namque iam persenex pauperem se et habitare sub
3. tegulis quodam scripto fatetur. Librum etiam, cui est titulus Perialogos, edidit, continentem querelas de iniuriis, quas professores negligentia aut ambitione
4. parentum acciperent. Fuit autem naturae acerbae, non modo in antisophistas, quos omni in occasione laceravit, sed etiam in discipulos, ut et Horatius significat, plagosum eum appellans, et Domitius Marsus scribens,

si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.

5. Ac ne principum quidem virorum insectatione abstinuit: si quidem ignotus adhuc cum iudicio frequenti testimonium diceret, interrogatus a Varrone, diversae partis advocato, quidnam ageret et quo artificio uteretur? Gibberosos se de sole in umbram

transferre respondit: quod Murena gibber. erat.
Vixit prope ad centesimum aetatis annum, amissa iam 6.
pridem memoria, ut versus Bibaculi docet,

Orbilius ubinam est, literarum Oblivio?

Statua eius Beneventi ostenditur in Capitolio ad sini- 7.
strum latus marmorea, habitu sedentis ac palliati, ap-
positis duobus scriniis. Reliquit filium Orbilium, et
ipsum grammaticum professorem.

X. Atteius Philologus, libertinus, Athenis 1.
est natus. Hunc Capito Atteius, notus iurisconsultus,
inter grammaticos rhetorem, inter rhetores gramma-
ticum fuisse ait. De eodem Asinius Pollio in libro, 2.
quo Sallusti scripta reprehendit, ut nimia priscorum
verborum affectatione oblita, ita tradit: „In eam rem
adiutorium ei fecit maxime quidam Ateius Praetexta-
tus, nobilis grammaticus Latinus, declamantium deinde
auditor atque praeceptor, ad summam Philologus
ab semet nominatus.“ Ipse ad Laelium Hermam scripsit, 3.
se in Graecis literis magnum processum habere, et
in Latinis nonnullum: audisse Antonium Gniphonem
eiusque Hermam; postea docuisse. Praecepisse au- 4.
tem multis et claris iuvenibus: in quis Appio quoque
et Pulcro Claudiis fratribus, quorum etiam comes in
provincia fuerit. Philologi appellationem assum- 5.
psisse videtur, quia sicut Eratosthenes, qui primus hoc
cognomen sibi vindicavit, multiplici variaque doctrina
censebatur: quod sane ex commentariis eius apparet,
quamquam paucissimi exstent, de quorum tamen copia
sic altera ad eundem Hermam epistola significat: „Hy-
len nostram aliis memento commendare, quam omnis
generis coegimus, uti scis, octingentos in libros.“ Co- 6.

luit postea familiarissime C. Sallustium, et eo defuncto Asinium Pollionem: quos historiam componere aggressos, alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, instruxit: alterum prae-
7. ceptis de ratione scribendi. Quo magis miror Asinium credidisse, antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio: cum sibi sciat nil aliud suadere, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur vitetque maxime obscuritatem Sallusti, et audaciam in translationibus.

1. XI. Valerius Cato, ut nonnulli tradiderunt, Burseni cuiusdam libertus ex Gallia; ipse libello, cui est titulus Indignatio, ingenuum se natum ait, et pupillum relictum, eoque facilius licentia Sullani tem-
2. poris exutum patrimonio. Docuit multos et nobiles: visusque est peridoneus praeceptor maxime ad poeticam tendentibus: ut quidem apparere vel his versiculis potest,

> Cato grammaticus, Latina Siren,
> qui solus legit ac facit poetas.

3. Is scripsit praeter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur Lydia et Diana. Lydiae Ticida meminit,

> Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianae Cinna,

> Saecula permaneat nostri Dictinna Catonis.

4. Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie et paene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus:

Si quis forte meï domum Catonis,
depictas minio assillas, et illos
custodis videt hortulos Priapi,
miretur, quibus ille disciplinis
tantam sit sapientiam assecutus,
quem tres cauliculi, selibra farris,
racemi duo, tegula sub una,
ad summam prope nutriant senectam.

Et rursus: 5.

Catonis modo, Galle, Tusculanum
tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
summum grammaticum, optimum poetam,
omnes solvere posse quaestiones,
unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

XII. Cornelius Epicadus, L. Corn. Sullae dictatoris libertus, calatorque in sacerdotio augurali, filioque eius Fausto gratissimus fuit: quare numquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit.

XIII. Staberius Eros, hero suo Menae emptus de catasta et propter literarum studium manumissus, docuit inter ceteros Brutum et Cassium. Sunt qui tradant tanta eum honestate praeditum, ut temporibus Sullanis proscriptorum liberos gratis et sine mercede ulla in disciplinam receperit.

XIV. Curtius Nicia haesit Cn. Pompeio et C. 1.
Memmio: sed cum codicillos Memmia ad Pompei uxorem de stupro pertulisset, proditus ab ea, Pompeium

2. offendit: domoque ei interdictum est. Fuit et M. Ci-
ceronis familiaris, in cuius epistola ad Dolabellam haec
de eo legimus: „Nihil Romae geritur, quod te putem
scire curare, nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum
et Vidium iudicem esse. Profert alter, opinor, duobus
versiculis expensum: alter Aristarchus hos ὀβελίζει.
Ego tamquam criticus antiquus iudicaturus sum, utrum
sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι.“ Item ad Atticum:
3. „De Nicia quod scribis, si ita me haberem, ut eius
humanitate frui possem, inprimis vellem mecum illum
habere, sed mihi solitudo et recessus provincia est.
Praeterea nosti Niciae nostri imbecillitatem, mollitiam,
consuetudinem victus. Cur ergo illi molestus esse
possem? Voluntas tamen eius mihi grata est.“ Huius
de Lucilio libros etiam Santra comprobat.

1. XV. L e n a e u s, Magni Pompei libertus et paene
omnium expeditionum comes, defuncto eo filiisque eius,
2. schola se sustentavit: docuitque in Carinis ad Tellu-
ris, in qua regione Pompeiorum domus fuerat: ac
tanto amore erga patroni memoriam exstitit, ut Sal-
lustium historicum, quod eum oris probi, animo inve-
recundo, scripsisset, acerbissima satura laceraverit,
lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque
appellans, et vita scriptisque monstrosum: praeterea
priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem.
3. Traditur autem puer adhuc Athenis surreptus refugisse
in patriam: perceptisque liberalibus disciplinis, pretium
suum retulisse, verum ob ingenium atque doctrinam
gratis manumissus.

1. XVI. Q u i n t u s C a e c i l i u s E p i r o t a, Tusculi
natus, libertus Attici, equitis Romani, ad quem sunt

Ciceronis epistolae, cum filiam patroni, nuptam Marco Agrippae, doceret, suspectus in ea et ob hoc remotus, ad Corn. Gallum se contulit: vixitque una familiarissime, quod ipsi Gallo inter gravissima crimina ab Augusto obiicitur. Post deinde damnationem mortemque Galli 2. scholam aperuit, sed ut paucis et tantum adolescentibus praeciperet, praetextato nemini, nisi si cuius parenti hoc officium negare non posset. Primus dicitur Latine 3. ex tempore disputasse, primusque Vergilium et alios poetas novos praelegere coepisse, quod etiam Domiti Marsi versiculus indicat,

Epirota, tenellorum nutricula vatum.

XVII. M. Verrius Flaccus, libertinus, docendi 1. genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda discentium ingenia aequales inter se committere solebat, proposita non solum materia, quam scriberent, sed et praemio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus pulcher aut rarior. Quare ab Augusto quoque 2. nepotibus eius praeceptor electus, transiit in Palatium cum tota schola, verum ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet: docuitque in atrio Catulinae domus, quae pars Palatii tunc erat, et centena sestertia in annum accepit. Decessit aetatis exactae sub Tiberio. 3. Statuam habet Praeneste in superiore fori parte, circa hemicyclium: in quo Fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos publicaverat.

XVIII. Lucius Crassitius, genere Tarentinus, 1. ordinis libertini, cognomine Pasicles, mox Pausam se transnominavit. Hic initio circa scenam versatus est, 2. dum mimographos adiuvat: deinde in pergula docuit,

donec commentario Smyrnae* edito adeo inclaruit, ut haec de eo scriberentur:

Uni Crassitio se credere Smyrna probavit:
desinite indocti coniugio hanc petere;
soli Crassitio se dixit nubere velle,
intima cui soli nota sua exstiterint.

3. Sed cum et doceret iam multos ac nobiles, et in his Iulum Antonium, triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola, transiit ad Q. Sexti philosophi sectam.

XIX. Scribonius Aphrodisius, Orbili servus atque discipulus, mox a Scribonia, Libonis filia, quae prior Augusti uxor fuerat, redemptus et manumissus, docuit quo Verrius tempore, cuius etiam libris de orthographia rescripsit, non sine insectatione studiorum morumque eius.

1. XX. Gaius Iulius Hyginus, Augusti libertus, natione Hispanus, (nonnulli Alexandrinum putant, et a Caesare puerum Romam adductum Alexandria capta) studiose et audiit et imitatus est Corn. Alexandrum, grammaticum Graecum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi, quidam Historiam vocabant.
2. Praefuit Palatinae bibliothecae: nec eo secius plurimos docuit: fuitque familiarissimus Ovidio poetae et Clodio Licinio consulari, historico: qui eum admodum pauperem decessisse tradit, et liberalitate sua quoad vixerit
3. sustentatum. Huius libertus fuit Iulius Modestus, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus.

1. XXI. Gaius Melissus, Spoleti natus, ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, cura et industria educatoris sui altiora studia percepit, ac Maecenati

pro grammatico muneri datus est. Cui cum se gratum et 2
acceptum in modum amici videret, quamquam asserente
matre, permansit tamen in statu servitutis, praesentemque
conditionem verae origini anteposuit; quare cito manu-
missus, Augusto etiam insinuatus est: quo delegante cu-
ram ordinandarum bibliothecarum in Octaviae porticu su-
scepit. Atque, ut ipse tradit, sexagesimum aetatis annum 3.
agens, libellos Ineptiarum, qui nunc Iocorum inscri-
buntur, componere instituit absolvitque centum et quinqua-
ginta, quibus et alios diversi operis postea addidit. Fecit 4.
et novum genus togatarum inscripsitque Trabeatas.

XXII. Marcus Pomponius Marcellus, sermo- 1.
nis Latini exactor molestissimus, in advocatione quadam
(nam interdum et caussas agebat) soloecismum ab ad-
versario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad
Cassius Severus, interpellatis iudicibus, dilationem pe-
tiit: ut litigator suus alium grammaticum adhiberet:
quando non putat is cum adversario de iure sibi, sed
de soloecismo controversiam futuram. Hic idem cum 2.
ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Atteio
Capitone, „et esse illud Latinum et, si non esset, fu-
turum certe iam inde“: „Mentitur, inquit, Capito. Tu
enim, Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbo
non potes.“ Pugilem olim fuisse Asinius Gallus hoc 3.
in eum Epigrammate ostendit:

Qui caput ad laevam didicit, glossemata nobis
praecipit: os nullum, vel potius pugilis!

XXIII. Quintus Remmius Palaemon, Vicen- 1.
tinus, mulieris verna, primo, ut ferunt, textrinum, deinde,
herilem filium dum comitatur in scholam, literas didicit:
postea manumissus, docuit Romae, ac principem locum

inter grammaticos tenuit: quamquam infamis omnibus vitiis, palamque et Tiberio et mox Claudio praedicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel iuvenum com-
2. mittendam. Sed capiebat homines cum memoria rerum, tum facilitate sermonis. Nec non etiam poemata faciebat
3. ex tempore. Scripsit vero variis nec vulgaribus metris. Arrogantia fuit tanta, ut M. Varronem porcum appellaret: secum et natas et morituras literas iactaret: nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed praesagante Vergilio, fore quandoque omnium poetarum
4. ac poematum Palaemonem iudicem. Gloriabatur etiam latrones quondam sibi propter nominis celebritatem
5. pepercisse. Luxuriae ita indulsit, ut saepius in die lavaret nec sufficeret sumptibus, quamquam ex schola quandringena annua caperet, ac non multo minus ex re familiari, cuius diligentissimus erat: cum et officinas promercalium vestium exerceret et agros adeo coleret, ut vitem manu eius institutam satis constet trecenta
6. sexaginta uvas edidisse. Sed maxime flagrabat libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris: dicto quoque non infaceto notatum ferunt cuiusdam, qui cum in turba osculum sibi ingerentem, quamquam refugiens, devitare non posset: „vis tu, inquit, magister, quotiens festinantem aliquem vides, abligurire?"

1. XXIV. Marcus Valerius Probus, Berytius, diu centuriatum petiit, donec taedio ad studia se contulit. Legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum
2. memoria, necdum omnino abolita, sicut Romae. Hos cum diligentius repeteret atque alios deinceps cognoscere cuperet, quamvis omnes contemni, magisque

opprobrio legentibus quam gloriae et fructui esse animadverteret, nihilominus in proposito mansit: multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et annotare curavit, soli huic nec ulli praeterea grammatices parti deditus. Hic non tam discipulos quam sectatores 3.
aliquot habuit. Numquam enim ita docuit, ut magistri personam sustineret. Unum et alterum, vel cum pluri- 4.
mos, tres aut quatuor postmeridianis horis admittere solebat, cubansque inter longos ac vulgares sermones legere quaedam, idque perraro. Nimis pauca et exigua 5.
de quibusdam minutis quaestiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui.

DE RHETORIBUS.

I. Rhetorica quoque apud nos perinde atque gram- 1.
matica fere recepta est, paululo etiam difficilius, quippe quam constet nonnumquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium sit, vetus item Censorium edictum subiiciam. „C. Fannio Strabone, M. Valerio Mes- 2.
salla Cons. M. Pomponius praetor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de philosophis et rhetoribus, de ea re ita censuerunt: Ut M. Pomponius praetor animadverteret curaretque, si ei e re publica fideque sua videretur, uti Romae ne essent.“ De eisdem interiecto 3.
tempore Cn. Domitius Aenobarbus, L. Licinius Crassus, Censores, ita edixerunt: „Renuntiatum est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludum conveniant: eos sibi nomen

imposuisse Latine scilicet rhetoras: ibi homines ad-
4. olescentulos dies totos desidere. Maiores nostri, quae
liberos suos discere et quos in ludos itare vellent,
instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem
ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta
5. videntur. Quapropter et iis, qui eos ludos habent, et
iis, qui eo venire consueverunt, videtur faciundum ut
ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere."
6. Paulatim et ipsa utilis honestaque apparuit: multique
7. eam et praesidii caussa et gloriae appetiverunt. Cicero
ad praeturam usque etiam Graece declamitavit: Latine
vero senior quoque, et quidem cum Cons. Hirtio et
Pansa: quos discipulos et grandes praetextatos vocabat.
8. Cn. Pompeium quidam historici tradiderunt, sub
ipsum civile bellum, quo facilius C. Curioni, promp-
tissimo iuveni, caussam Caesaris defendenti, contradi-
ceret, repetisse declamandi consuetudinem: M. Anto-
nium, item Augustum, ne Mutinensi quidem bello
9. omisisse. Nero Caesar primo imperii anno, publice
quoque bis antea, declamavit: plerique autem oratorum
10. etiam declamationes ediderunt. Quare magno studio
hominibus iniecto, magna etiam professorum ac doctorum
profluxit copia adeoque floruit, ut nonnulli ex infima
fortuna in ordinem senatorium atque ad summos honores
11. processerint. Sed ratio docendi non una omnibus, nec
singulis eadem semper fuit; quando vario modo quisque
discipulos exercuerunt. Nam et dicta praeclare per
omnes figuras, per casus et apologos, aliter atque
aliter exponere et narrationes tum breviter et presse,
tum latius et uberius explicare consuerant: interdum
Graecorum scripta convertere ac viros illustres laudare

vel vituperare: quaedam etiam ad usum communis vitae
instituta, tum utilia et necessaria, tum perniciosa et
supervacanea ostendere: saepe fabulis fidem firmare
aut demere, quod genus thesis et anasceuas et cata-
sceuas Graeci vocant: donec sensim haec exoluerunt
et ad controversiam ventum est. Veteres contro- 12.
versiae aut ex historiis trahebantur, sicut sane non-
nullae usque adhuc, aut ex veritate ac re, si qua forte
recens accidisset. Itaque locorum etiam appellationibus
additis proponi solebant. Sic certe collectae editaeque 13.
se habent: ex quibus non alienum fuerit unam et alteram
exempli caussa ad verbum referre. „Aestivo tempore 14.
adolescentes urbani cum Ostiam venissent, litus ingressi
piscatores trahentes rete adierunt et pepigerunt, bolum
quanti emerent: numos solverunt: diu exspectaverunt,
dum retia extraherentur: aliquando extractis, piscis
nullus affuit, sed sporta auri obsuta. Tum emptores
bolum suum aiunt, piscatores suum.“ „Venalicii cum 15.
Brundusi gregem venalium e navi educerent, formoso
et pretioso puero, quod portitores verebantur, bullam et
praetextam togam imposuere: facile fallaciam celarunt.
Romam venitur: recogniti sunt: petitur puer, quod
domini voluntate fuerit liber, in liberatem.“ Olim autem 16.
eas appellationes Graece synthesis vocabant: mox
controversias quidem, sed aut fictas, aut iudicia-
les. Illustres professores, et quorum memoria aliqua
exstet, non temere alii reperientur, quam de quibus
tradam.

II. Lucius Plotius Gallus. De hoc Cicero 1.
in epistola ad M. Titinium sic refert: „Equidem me- 2.
moria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse

Plotium quendam: ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam idem mihi non licere. Continebar autem doctissimorum auctoritate: qui existimabant Graecis exercitationibus ali
3. melius ingenia posse.“ Hunc eundem (nam diutissime vixit) M. Coelius in oratione, quam pro se de vi habuit, significabat dictasse Atratino, accusatori suo, actionem: subtractoque nomine, ordinarium eum rhetorem appellat, deridens ut inflatum ac levem et sordidum.

1. III. Lucius Otacilius Pilutus servisse dicitur atque etiam ostiarius, vetere more, in catena fuisse, donec ob ingenium et studia literarum, manumissus, accusanti patrono subscripsit. Deinde rhetoricam pro-
2. fessus, Cn. Pompeium Magnum docuit patrisque eius res gestas, nec minus ipsius, compluribus libris exposuit: primus omnium libertinorum, ut Corn. Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam.

1. IV. Ad id tempus Epidius, calumnia notatus, ludum dicendi aperuit docuitque inter ceteros M. An-
2. tonium et Augustum. Quibus quondam C. Canutius, obiicientibus sibi, quod in re publica administranda potissimum consularis Isaurici sectam sequeretur, Malle, Isaurici esse discipulum respondit, quam Epidi, calumnia-
3. toris. Hic Epidius ortum se a C. Epidio Nucerino praedicabat: quem ferunt olim praecipitatum in fontem fluminis Sarni, paulo post cum cornibus exstitisse, ac statim non comparuisse, in numeroque deorum habitum.

1. V. Sextus Clodius, e Sicilia, Latinae simul Graecaeque eloquentiae professor, male oculatus et dicax, par oculorum in amicitia M. Antoni, triumviri,

extricte se aiebat. Eiusdem uxorem Fulviam, cui 2.
altera bucca inflatior erat, acumen stili tentare dixit, nec eo minus, imo vel magis ob hoc Antonio gratus. A quo mox consule ingens etiam congiarium accepit, ut ei in Philippicis Cicero obiicit: „Adhibes ioci caussa 3.
magistrum suffragio tuo et compotorum tuorum, rhetorem: cui concessisti, ut in quem vellet diceret: salsum omnino hominem: sed materia facilis, in te et in tuos dicere. At quanta merces rhetori est data? Audite, audite, Patres conscripti, et cognoscite rei publicae vulnera. Duo milia iugerum campi Leontini Sexto Clodio rhetori assignasti, et quidem immuni: ut tanta mercede nihil sapere disceres."

VI. Gaius Albutius Silus, Novariensis, cum 1.
aedilitate in patria fungeretur, cum forte ius diceret, ab iis, contra quos pronuntiabat, pedibus e tribunali detractus est. Quod indigne ferens, statim contendit 2.
ad portam, et inde Romam: receptusque in Planci oratoris contubernium, cui declamaturo mos erat, prius aliquem, qui ante diceret, excitare, suscepit eas partes, atque ita implevit, ut Planco silentium imponeret, non audenti in comparationem se dimittere. Sed ex 3.
eo clarus, propria auditoria instituit, solitus proposita controversia sedens incipere, et calore demum provectus consurgere ac perorare, declamare autem genere vario, modo splendide atque adornate, tum, ne usquequaque scholasticus existimaretur, circumcise ac sordide et tamen non trivialibus verbis. Egit et caus- 4.
sas, verum rarius, dum amplissimam quamque sectatur, nec alium in ulla locum, quam perorandi. Postea renuntiavit foro, partim pudore, partim metu. Nam 5.

cum in lite quadam centumvirali adversario, quem ut impium erga parentes incessebat, iusiurandum quasi per figuram sic optulisset: „Iura per patris matrisque cineres, qui inconditi iacent", et alia in hunc modum: arripiente eo conditionem, nec iudicibus aspernantibus,
6. non sine magna sui invidia negotium afflixit. Et rursus in cognitione caedis Mediolani apud L. Pisonem proconsulem defendens reum, cum cohibente lictore nimias laudantium voces ita excanduisset, ut deplorato Italiae statu, quasi iterum in formam provinciae redigeretur, M. insuper Brutum, cuius statua in conspectu erat, invocaret, legum ac libertatis auctorem
7. et vindicem, paene poenas luit. Iam autem senior ob vitium vomicae Novariam rediit: convocataque plebe, caussis quopter quas mori destinasset diu ac more concionantis redditis, abstinuit cibo.

ADNOTATIO CRITICA

AD

C. SVETONII TRANQVILLI

DE

GRAMMATICIS ET RHETORIBVS

LIBELLOS.

INDEX GRAMMATICORUM.

SAEVIUS] P. SEVIUS.

ATEIUS] De nominis scriptura varia dictum ad Gramm. c. 10. init.

CORNELIUS EPICADUS] Omisit auctor Indicis *Staberium Erotem*, qui ordine sequitur apud Suetonium. Fortasse ob nomen hominis antiquo iam tempore in exemplis Suetonii ita obscuratum (v. ad c. 12), ut citra erroris periculum legi nequiret.

NICIA] P. NITIA, ut etiam in contextu Suetonii.

LENAEUS] P. LENEUS, ut in contextu.

HYGINUS] P. FRIGINUS, ut in contextu.

M. MELISSUS] In contextu praenomen *Gaius*.

REMMIUS] P. RHEMINIUS, prorsus ut in contextu. Item utrobique PALEMON.

INDEX RHETORUM.

OTACILIUS] P. VOLTACILIVS, ut in aliis libris c. 3.

PILATUS] Ita P., fortasse pro PILUTUS, ut idem in contextu c. 3, vbi v. not. Vulgo PILITUS.

CESTIUS] Ita P. Nihili est quod vulgo fertur nomen CAESTIVS, licet ex ipsis Vaticanis suis ab Ach. Statio productum. Receptam scripturam unice probant tituli. Eodem vitio laborat *caestus*, ut a nonnullis scribitur. Fictum enim discrimen significatus, quod inter *cestus* et *caestus* statuunt. V. Harles. ad Cellar. Orthogr. T. I. p. 198.

PORCIUS] P. PORTIUS. Hoc de declamatore disseruit Hermannus De scriptoribus illustribus ap. Hieronymum Chron. p. 26.

VIRGINIUS] Ita P. et Wolf. Cum Vatic. Achillis Statii Casaub et Oud. VIRGILIVS.

URSULUS] Hieron. Chron. anno tertio Neronis: *Statius Surculus Tolosensis in Galliis celeberrime rhetoricam docet.* Mendose, ut recte admonuit Ach. Statius, *Ursulus* omnes Suetonii codices praestare addens.

P. CLODIUS QUIRINALIS] Hieronymus numero MMLX. in anno IV Claudii: *Domitius Afer Nemausensis clarus Orator habetur; qui postea Nerone regnante ex cibi redundantia in coena moritur. Clodius Quirinalis Rhetor Arelatensis, Romae insignissime docet.* In nostro indice nomen Domitii non exstat: sed nos iudicium Scaligeri secuti sumus, qui etiam ista e libro Suetonii putabat esse descripta. est tamen dubitationi locus, quia Hieronymus ait ORATOR, non autem Rhetor. Sane Domitius etiam honores gessit in Rep. Praetor enim fuit ac Consul. videndus Dio. ACH. STATIVS. De Quirinali nihil praeterea sibi compertum habere ait Hermannus l. l. p. 32.

GABINIANUS] De hoc rhetore v. Hermanno notata l. l. p. 35.

TIRO] P. TYRO.

DE GRAMMATICIS.

DE GRAMMATICIS] De huius et alterius libelli inscriptione v. Praef.

CAPUT I.

1. Romae — olim] Ordinem verborum dedi cum Oudend. eum quem exhibent praeter edit. princ. Mss. nonnulli, etiam collatus mihi Paris. bonus in primis ... Vulgo *olim Romae ne in u. quidem.* WOLFIVS. Vulgi ordinem retinet B, cum Vatic. 4498 (*R.* Massm.) Lectionem nunc susceptam Farnesianus cum ceteris libris.

ne] Harl. Par. et Voss. *nec.* Illud etiam Farnesianus et Vatic. 4498.

scilicet] Abest a Vossiano Harl. Par. B. et Vatic. 4498, sine idonea caussa, ut ait Wolfius, collato c 4. Aptius con-

feretur Tib. 14: *ignotu scilicet tunc adhuc Caesarum potestate.* Tuetur *scilicet* etiam Farnesianus.

tum] Abest a Vatic. 4498.

necdum] B. *nec tum.* Vatic. 4498 *nec tunc.* Ven. *nec dum.*

Magnopere] BCrusius *magno opere,* ut Burm. Illud etiam Vatic. 4498.

disciplinis] PR. *discipl̃is* in contextu, *disciplinis* in margine a manu rec.

Initium quoque] Quae pone haec verba sequuntur usque ad *qui iidem* absunt a Vatic. 4498.

2. eius] Omittunt Par. Harl. et Voss.

exstitit] P. *extitit.*

qui iidem] P. Par. B. Harl. Voss. cum Ven. et Ed. pr. *quidem.* Statio legendum videbatur *quidam.* Quod nunc vulgatur quis primus dederit, ignoro.

semigraeci] Praemittitur vulgo ad BCrusium usque *oratores,* quod ad fidem P. Harl. Par. Voss. Vatic. 4498. Ven. et Mediol. delevi, ineptum additamentum ex margine, quod ipse Oudendorpius his verbis in Notis improbasse videtur: „Oratores certe fuisse Livium Andronicum et Ennium, nusquam traditur." Atque ipse locus c. 6, Wolfio ad defendendam vocem allatus, docere debebat, Suetonio si prosaicorum mentionem facere voluisset, id quod certe quantum ad Livium facere non poterat, quo modo scribendum fuisset, videlicet *scriptores,* non *oratores.* B. ut vulgo. — Ceterum Ennius, Rudiis natus, qua ratione semigraecus recte appelletur, ostendunt quae de graeca illius urbis indole congessit Mommsenius Ann. dell' inst. arch. T. XX. p. 102.

quos utraque lingua etc.] De varia horum verborum interpretatione v. Anal. cr. p. 27.

notum] Vulgo *adnotum,* cuius loco quod Gronovius coniecit *adnotatum* valde placuit Oudendorpio et Wolfio, quod ita, ut hic ait, Plinius maior loqui soleat. Sed non addicit consuetudo Tranquilli, cui *notum est* placuit (v. Vesp. 9. Tib 2) id ipsum quod PR. m. 2 cum Vatic. 4498 suppeditavit: in quo interim acquiescendum erit, quamquam in lectione *adnotum,* quam tuentur Par. Harl. B. et Ven., aliud quidquam latere videtur,

quale est *admodum notum:* elementum enim *ad,* quum bonae notae codices servent, de nihilo esse non potest. Atque PR. *at notum.*

nihil] Par. *nil.* Praemittit solus, quod sciam, PR. m. 2. *ac,* Trossio quasi in P. legeretur susceptum: quod si recte habet, supra *quidem* pro *qui iidem* revocandum est. Sed inserto *ac* vereor ne oratio plane elumbis fiat ac loquendi consuetudini scriptoris adversetur: quod qui in eam rationem attenderit, qua orationi parentheses extra structuram verborum positas inserere soleat, facile sentiet. Quae enim talium emblematum natura est, ut ipsa sua sede legentem docere debeant, verborum nexum turbari ac suspendi, ex hac ipsa consectarium est ut non finita sententia apte inculcentur, sed ipsis mediis orationis verbis quasi invitis inserantur. Atque hunc morem tenuisse Suetonium, ostendere possunt vel duo loci, c. 20 et Tit. 1.

Graecos] Ita etiam Par., probante iam Wolfio, Harl. et B. cum Vatic. 4498. Vulgo *Graece.* Ex Torrentii et Casauboni coni. Oudendorpius cum Burm. *Graeca.*

aut] Vulgo *ac,* ut Par. et B. cum Vatic. 4498. *At* legi in Voss. adnotat Oudend., ab aliis *aut* exhiberi addens: illud Harl. et Ven.

quid] Vatic. 4498 *quidem.*

ipsi Latine] Cum hoc verborum ordine ex P. expresso consentiunt Harl. Par. et Voss. neque aliter Vatic. 4498. Vulgo cum B. *Latine ipsi.*

praelegebant] P. primitus *praeallegabant,* sed correctum. Illud ipsum „ex veteri impresso“ affert Statius. B. et Vatic. 4498 *perlegebant,* hic repetito *latine* ante *perl.*

3. eodem] Abest a Par. Harl. et Voss.

quod] Ven. *quidem.*

Enni] Non dubitavi hic et ubiubi nominum propriorum in *ius* vel *ium* desinentium genitivus se offerebat, breviorem formam vel invitis codicibus reponere, non tam fretus exemplo Silligii aliorumque, qui scriptoribus aetatis argenteae eam reddere nuper ausi sunt, quam iis quae ipsimet ea de re constituere olim contigit Adnot. cr. in Quintil. lib. X. Part. II. p. 16 seq., confirmata, ut posthac vidi, ipsorum titulorum auctoritate, quorum

unum affero a. p. Chr. 202 incisum, Septimio Severo regnante, in Ann. dell' inst. archeol. T. XXII. p. 35. Accedit quod ut Suetonio quoque idem scribendi usus citra erroris periculum restituatur, in ipsa codicum scriptura indicia genuinae formae haud pauca relicta sunt. V. not. ad Gr. 14 et 15 *Pompei.* 16: *Domiti.* 18: *Sexti.* Rhet. 1: *Brundusi.* Ceteris omnibus locis, quibus nihil adnotationis adiectum, monendus est lector, genuinae formae scripturam mihi deberi. *Palatii* autem Gr. 2 et 17 consulto reliqui intactum, de Suetonii consuetudine dubius.

L.] BCrusius *Lucius.*

ferantur] Ita P. Ceteri libri scripti et impressi *feruntur,* praeter Ven. et Ed. Mediol. Illud Casaubonus quoque melius habere existimarat: nimirum hoc dictum de sententia Cottae.

CAPUT II.

1. in Urbem] Absunt a B.

Mallotes] B. *Aulotes.* De temporum hic commemoratorum rationibus praeter Wolfium adi Wegenerum De aula Attalica I. p. 55 sq. et 121.

missus] Voss. *missis.*

ac] Ven. *et.*

cum] Ita PR. Tross. *quum.*

regione] Olim praemittebatur *in*, omissum etiam in Voss. Omissionem praepositionis sibi probatam adstruit Casaubonus ex Aug. 5: *regione Palatii.*

Palatii] Omittit B.

acroasis] Prorsus ita P. Harl. et Par. B. et Voss. cum vulg. ἀκροάσεις. Ach. Statius: „In vet. impr. et manuscriptis Latine scriptum: *acroasis.*“ De Latina scriptura v. ad Rhet. 1, ubi etiam eadem accusativi forma *thesis* exstat, et paulo post item *syntaxis*, et *synthesis.*

ac] Praemittit B. *ut.*

ad imitandum] Quidam libri non habent verba *ad imitandum,* in his ed. Flor. 1478. ERNESTIVS. Ac tollere volebant et Statius et Gronovius. Retinent Mss. quotquot novi omnes.

tamen] Pith. *tantum.*

2. imitati] Interpolatoris glossam sapit: quare inducendum puto cum I. F. Gron. et Ernestio. OVDEND. Nonnemini in animum venit *imitatis:* nam sane durior h. l. est omissio verbi substantivi. WOLFIVS. Suppeditarunt quod Wolfius desiderabat, B. et Pith. scribendo *sunt imitati*, hic omisso, quod sequitur, *ut*.

aliorum] Par. *amicorum*. B. *animos*. Harl. omittit. Pith. et Ven. ut P.

retractarent] Male codd. Pith. [*retractant* apud Schottum citatur] Voss. et Par. [adde Harl.] *recitarent*. WOLFIVS. P. *retractarent*. Idem autem Tac. Germ. 22 *retrectatur*.

ac] Pith. *ut*.

ceteris] Harl. *caeteris*, et sic constanter.

C.] Ita Harl. PR. Par. et Ven. P. cum ceteris *Caius*, Trossio susceptum, quod nullo pacto Suetonius scribere potuit. V. Excurs. ad Cic. de rep. p. 427. *Caius*, nomen, non praenomen, quod scriptum traditur in inscriptione Dacica Bull. dell' inst. arch. 1848. p. 135, aut male descriptum, aut imperitiae ignoscendum.

Naevi] Par. cum Ven. *Nevii*.

bellum] Par. *boelhum*.

uno] Sic recte ed. Flor. Vulgo male *unicò*. ERN. Accedit et Paris. codex et Voss. Ex Latinitatis quidem usu vulgatum damnari non licebat. WOLFIVS. B. *unico*.

et] Par. Voss. et PR. *etiam*.

scriptura] Par. *scripta*. B. *scripturae*.

septem] Ven. *VII*.

Q.] Ita Harl. PR. Par. et Ven. Ceteri libri omnes cum P. *Quintus*.

Vargunteius] PR. *Varguntejus* Voss. *Varyunteius*. Ed. Mediol. *Varguntius*. Alii *Vargonteius*.

quos] B. *quo*. Omittunt Harl. Par. et Voss.

pronuntiabat] Harl. *pronunciabat*, et sic semper per *c*. Ven. *pronunctiabat*.

Laelius Archelaus] Sic [*Laelius, Archelaus*] distinguebantur haec, quasi duorum hominum nomina. Vitium primus vidit

Casaub. Mox simile subodoratus Gronov. scribit *Vectiusque Phil.* Frequens hic est describentium error. Nam non plures duobus viros hic poni, sequentia verisimillimum faciunt. WOLFIVS. Ad hanc normam locum expressimus, viam monstrante etiam P., si quidem eius lectio recte ita a Ritschelio Parerg. Plaut. p. 195 affertur: *Vectius*:et [vel, ut adnotat p. 610 $\frac{et}{\wedge}$] *Q. Philocomus*; nam apud Trossium continua scriptura exhibetur *Vectius et Q. Ph.* Ac iam Casaubonus adnotaverat, *Laelius Archelaus* unius hominis esse nomina, quorum prius manumissione meruerit, veramque loci rationem etiam alii divinaverant, audati Ritschelio l. l. p. XVII, et Lerschius Römische Diorhosen p. 18. Quum enim *Q.* (constat enim *que* antiquitus unius litterae *Q* compendio scribi esse solitum, v. ad Ciceron. de rep. I, 43. p. 138) semel in *Quintus* depravatum esset, patet copulam *et* a librario adiectam esse. Duosque tantum viros agnoverunt Harl. Par. et Ven. cum codice Hafniensi, quem laudat Lerschius l. l., exhibentes: *Lelius* [sic Hafn. et Par.] *Archelaus Vectius. Q. philoconius* [sic hic et mox, ut etiam Voss. et teste Casaubono, Pith. et Petavii codd., nisi quod Harl. *philochonium*]. A vulgata lectione *Laelius Archelaus*, *Vectius*, *Quintus Phil.*, quam Wolfius et BCrusius, hic tamen vitii non ignarus, repetierunt, nihilo discedit B., nisi quod exhibet *Vertius*. Ex *Archeas*, quod in ed. Mediol. pro *Archelaus* exstat, Graevius sive Heinsius, notante Oudendorpio, efficere malebat *Archelas*, ut *Arcesilas*. Praeterea eadem Ed. *Vectii*. Ceterum ut pro *Vectius* scripserim *Vettius*, id quod iam Statius suaserat, monumentorum auctoritate adductus sum. Hanc enim nominis formam unice agnoscunt nummi: utramque quidem tituli, sed ita ut qui *Vectius* ostendunt, in quibus et sunt de fide scripturae dubii, aetate recentiores sint. *Vectium* certe aevum, de quo agitur, non novit. Atque ubi apud Tullium *Vectienus* legi videbatur, nunc repositum habes *Vettienus*: idem in *Vectio* accidit, Ep. ad Att. VI, 1. Apud Tac. Ann. XI, 30, ubi nunc vulgatur *Vectios* Mª *Vetticis*, relicto *Vectius* c. 31 et 35. Idem vitium etiam adhaeret Plin. H. N. XXIX, 1, 5 et Quintil. I, 5, 56, ubi Flor. *Vetticium* et Turic. *Veticium* ad genuinam

nominis scripturam ducunt. Restat monere de loci scriptura quadam, a Grosio allata, quam quoniam vim totius adnotationis non plane dispicio, ipsius verbis reddam, verbis *ut Laelius . . . praedicant* adscriptam: „In Mss.: „*Ut L. Aelius Lucilii satiras familiaris sui, quas legisse se* etc. *praedicant.*“ Hanc lectionis varietatem, quae corrupto loco medelam affert, gratus accepi ab eruditiss. Egger etc.“ In qua verum esse posset *L. Aelius.*

Saturas] Ita Par. et Harl. Vulgo *satiras*, ut B. vel *satyras*, ut P.

familiaris sui] Van Heusde Stud. cr. in Lucil. p. 46 et Epist. ad C. F. Hermannum p. 15 coniecit *familiaribus suis*, in eandem sententiam etiam Ritschelio l. l. p. XVII. sq. inclinante.

legisse] B. *legisset.*

Pompeius] Error est Lerschii l. l. p. 17 pro *Pomponius*, ut legi ait, *Pompeius*, quod libri omnes tenent, legendum proponentis.

Lenaeus] B. *Ianeus.* PR. et Harl. *Leneus.*

praedicant. Instruxerunt] B. *praedictam instruxerunt.* Malebat Statius *praedicantur* : *praedicant* etiam Ed. Mediol.

3. grammaticam] Mss. Ach. Statii, item Coll. Voss. et Ed. vet. *grammaticam*, ut reposuere Gron. Pitiscus, damnante Burmanno: quia sic *Musica* et alia in plurali occurrunt. Sed auctori singularis placuit numerus Cap. 1. 3. 24. de ill. rhet. C. 1. OVDEND. Olim *grammatica.*

L.] Ita Harl. PR. B. et Par. et mox iidem *Elius* et *Elii.* Vulgo *Lucius*, ut Trossius quoque. Vulgabatur olim et *Laelius* pro *L. Aelius*, ex utroque nomine conflatum, quod ex impressis et Mss. iam Statius corrigendum esse viderat. Ven. *Lelius.*

Lanuvinus] Ita cum Trossio scripsi, id ipsum quod praestat B. Harl. Par. et Voss. *Lanuvius*; Ven. *L. Annuinus.* *Lanuinus*, quod exhibet PR., quoque modo hoc nomen passim in libris scriptis et impressis exaratur, auctoritate caret, quandoquidem monumenta in ipso agro Lanivino reperta aut in *Lanivinus* consentiunt, aut *Lanuvinus* atque etiam *Lanumvianus*, hoc non sine mendi suspicione, ostendunt. V. Feam ad Hor. Od. III, 27, 3, *Lanivino* poetae reddere ausum. Quae nominis forma et mihi cum Nibbio Viaggio nei contorni di

Roma T. II. p. 192 ex altera antiquiore *Lanuvinus* orta esse videtur. Cf. Garat. et Orell. ad Cic. pro Mil. 17. Atque LANVVII SA*cerdoti* lapis ap. Orellium Anal. epigr. p. 51. SACERDOTI LANIVINO Inscriptio in Bull. dell' inst. arch. 1850. p. 171. Bormannus, qui Antiquitatum Lanuvinarum Partem I. vulgasse dicitur, hunc locum si attigit, quid statuerit, ignoro.

generque] Vulgo *gener Quinti*, quod retinuerunt BCrusius et Trosius, hic quasi ita in P. legeretur. Wolfius: „Gronovius volebat *generque*, quod probo: item Oudendorp. ERN. Iam Carrio sic emendarat in ant. Lectt. I, 8. verissime. *Lucius* praenomen fuit Aelii Praeconini, non *Quintus* [V. Heusde De Aelio Stilone p. 34]; ac paullo post Aelius hic dicitur Servii socer.“ Probavit in notis Grosius, tum Ritschelius quoque Par. Plaut. p. 195. Comprobavit denique ipse PR. cum B., viam etiam monstrantibus Par. et Harl., qui *Q.* exhibent, prorsus eodem errore, quem librarios supra errasse vidimus in *Vettiusque*. Ceterum Ven., pagina desinente in v. *gener*, in sequenti ex negligentia operarum pergit: *grammaticam. L. aelius L. annuinus gener Q. aelii Servius Clodius.*

Aeli] Harl. *ellii.*

Ser.] Ita P. Ceteri omnes libri *Servius.*

Clodius] Ita Plinius quoque. Cicero cum aliis Claudium nominat. Cf. Heusde l. l. p. 45.

eques] Abest ab uno Ms. Statii.

Romanus] PR. *Ro.* Par. *R*; compendiose uterque.

re publica] PR. *r. p.* Ven. *repu.*

multique ac varii etc.] Vim horum verborum illustrare studet Heusdius l. l. p. 47 sq.

CAPUT III.

1. Aelius] Par. cum Harl. *Elius*, omisso praenomine *L.*, quod vulgo praemittitur, ad BCrusium usque servatum; omittit et P. et Voss. cum Ven. Recte: quoniam plenum hominis nomen iam laudatum fuit. Retinet B.

Praeconius] Veram hanc nominis formam praestant P. Par.

Harl. et B. Ven. *preconius*. Vulgo *Praeconinus*, quo cognomine adhuc apud omnes Aelius audit, sine ulla vitii suspicione: quem admodum etiam apud Plinium XXXIII, 1, 7 legitur, cuius verba apprime huc faciunt: *purpura latiore tunicae usos invenimus etiam praecones, sicut patrem Luci Aeli Stilonis Praeconini ob id cognominati*; tum etiam XXXVII, 1, 3. Illam vero formam cognominis unice veram firmat lapis Muratorii p. 1241, 7, scilicet emendandus ex apographo, hac certe parte meliore, quo usus est A. Sabinus Comm. in Iuvenalem, Romae 1474, ad Sat. III, 3; cuius adnotationem age ipsius verbis adscribamus: „Artorius et Catulus] id est similes artorio qui et persicus etiam dictus est: erat autem dives et orbus ideoque dilectus hunc ego puto eum Sex. f. cuius inscriptio in aede S. Iuvenalis apud Ameriam habetur talis. Sex Artorio Sex. F. pri praeconie c. F. possille matri Sex Artorio Sex. f. fri. L. artorio Sex. f. fri. artor. A. Sex. f. A. Sex. f. secunda fecit.“ Scilicet apud Murat. PRAEONNIAE, quod nihili est. Ceterum recte habet quod de cognominis origine et Suetonius et Plinius tradunt: restat ut caussa aperiatur, quod a praeconis officio, quod in honestissimis olim non habebatur, Aelius appellatum se non dedignatus sit. Videlicet praeconum conditionem olim in despectu habitam I. Caesar, teste Cic. pro Quint. 3, paulo honestiorem fecerat, constituendo simul decuriam *praeconiam consularem*, de qua v. Furlanettum ad Forc. v. *praeconius*. Caesaris autem Aelius aequalis fuit.

Stilo] P. *Istilo*. Par. Voss. et Ven. *istilo*.

tantum] Vulgo *tantus*, ex correctione: sed affert Statius ex Mss. et ita revera B. Illud P. Harl. Par. et Voss., positum pro *in tantum*, ut Liv. XXXVII, 39: *Antiochus tantum progressus e castris est, ut* etc.

optimatium] Abest a Par. Harl. et Voss. Vulgo cum B. et Ven. *optimatum*, ut Statius ex Mss. excitat.

Q] Alii *Quintus*. P. Harl. Par. Voss. et B. *M*. De re v. Heusde l. l. p. 39. sq.

2. Servius] Par. et Voss. *socerus*.

cum] Ven. *quom*.

taedio] PR. *tedio.*

secessisset] B. *secessit.* PR. *secevsset.*

praemortui] Vulgo *praemortua,* quod vellem vel unus librorum Mss. firmaret. Illud Codd. mei omnes cum Voss. et Ven. Varro apud Plinium H. N. XXV, 7, 24, quem expilasse Suetonium existimat Ritschelius l. l. p. 623: *Servium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum veneno crura perunxisse et postea caruisse sensu omni aeque quam dolore in ea parte corporis.*

viveret] Ita Harl. P. Par. Voss. et B. cum Ven. Edit. Flor. et Mediol. et Mss. Casauboni, probante et Wolfio. Vulgo *vixerit.*

3. hos] Hoc malebat cum Casaubono Ernestius, contra monente post Oudendorpium Wolfio *hoc,* quod vulgetur, tentari non debere, simulque variantem *haec* afferente, quae et Par. exhibeat, invitis schedis meis, quibus mandavi diserte legi *hoc:* quod etiam B. servat. *Post haec,* quod cum Ven. Harl et Voss. tenent, Suetonianum est: v. Aug. 19. *Post hos,* quod omnium optime convenit, frequentat Pomponius de O. I. 28. 39. 41. 46. 47. Idem tamen etiam *post hoc*, §. 13.

ipsi] Par. Harl. et Voss. *ipse:* tum iidem mox *aliud* pro *aliquid*, et *scriberetur.*

super] Par. cum Harl. et Ven. *supra.*

viginti] Vulgo *XX,* ut Ven. Cod. Voss. teste Wolfio neque eo improbante *X;* Par. et Harl. *decem.* Ed. Mediol. *viginti.*

scholae] PR. *scolae,* ut Ven., haec constanter.

fuisse in Urbe] Par. et Ven. *in urbe fuisse.* Item Harl., verbis *in urbe,* quae omissa erant, in margine adscriptis.

vero] Adieci ad fidem Harl. PR. Par. Voss. B. et Ven., desideratum a Wolfio et BCrusio, iam commendatum ab Oudend. Abest a Trossio.

Lutatium] Par. Harl. et Ven. *Luctatium,* quae scriptura nominis nihili putatur. V. Drak. ad Sil. VI, 687.

Lenaeus] Par. *Leneus.* Harl. *leneus.* B. *levius.* PR. et Ven. *Laeneus.*

Melissus] B. *mellisius.* PR. *Mellissus.* Oudendorpius: „Nomen *Lenaeus* corruptum esse censeo. Is enim fuit Pompeji libertus,

ut docet inferius Cap. 15. Hinc et Plinio dicitur *Pompejus Lenaeus*. Sed *Melissus* fuit libertus Maecenatis. Vide Cap. 21. Legendum *Cilnius Melissus*. Nam quis ignorat, Maecenatem Cilnium esse dictum. Hinc et Plinio XXVIII, 6 vocatur Maecenas Melissus: *Triennio Maecenatem Melissum accepimus silentium sibi imperasse, a convulsione reddito sanguine.* Sed apud Gellium Cap. 6. Lib. XIIX alius est *Aelius Melissus*, qui vixit tempore Gellii. Sicut et alius *Melissus* fuit ille *Samius*, cuius vitam descripsit Diogenes, qui longe fuit vetustior: alius *Melissus Euboicus*, cuius Fulgentius meminit II. Mythol. GRAEV. Adde Burm. qui Heinsio veram coniecturam *Cilnius* adscribit. In minore Casauboni Ed. est *Lenaeus Melius*. De Grammatico Melisso est mentio apud Charis. p. 78 et Bed. de Orthogr. p. 2779. Ed. Putsch. V. Barth. Advers. L. XXXVII. C. 5." Duo igitur sunt grammatici, unus Pompeii libertus, Lenaeus, ut simpliciter a Suetonio c. 15 appellatur, quoniam iam integro Pompeii Lenaei nomine c. 2 produxerat, alter Maecenatis l., C. Melissus Suetonio dictus: quorum uter qui ab eodem laudatur Lenaeus Melissus sit, quaeritur: nam tertium Gellio memoratum temporum rationes excludunt. Nostro iam quem tractamus loco Suetonio citatur *Lenaeus Melissus*, cuius nominis hominem hoc loco excepto historia non novit. Probabile vero quum aliis, quos inter est Iahnius ad Persium p. CXLIII., tum etiam mihi olim ad Apuleium p. 71 visum est, Maecenatis libertum dici: itaque non dubitavi de nominis scriptura ita statuere, ut *Lenaeus Melissus* nescio quo errore male scriptum esset pro *Maecenas Melissus*; cuius quidem coniecturae, etiam Iahnio probatae, adhuc non piguit, in textum tamen suscipere ideo dubitavi, quod erroris origo clare demonstrari nequeat, ea de re aliquando in Historia grammaticorum Latinorum, ubi ordine ad hunc Melissum pervenero, enucleatius expositurus.

Πανὸς ἀγάπημα] P. *panosagacema*. B. cum vulg. Πανὸς ἄγημα. Voss. Par. et Harl. *P*, relicto spatio vacuo decem undecimve fere litterarum. Quod nunc dedi cum Bip. et BCrusio, qui tamen Πανὸς ἄγασμα se malle adnotavit, id ipsum quod ego quoque olim probaram ad Apuleium p. 72, Toupio Em. in Suid.

T. III. p. 154 debetur, etiam Iahnio probatum ad Persium p. CXLIII, ideoque probandum, quod ad traditam codicum scripturam proxime accedit. Nam posset et legi commode Πανὸς ἄγαλμα, quemadmodum ap. Athen. II. p. 52. Nicander Georgicis Πανὸς ἄγαλμα fagos ipsi dilectas nominavit. Cetera editorum commenta recensentur in ed. Havercamp. Vulgo Πανὸς ἄγημα, quod expressit Wolfius.

septingentis] Confirmant Harl. Voss. et Par. cum Ven. *DCC.* Vulgata, ut B., *ducentis*, de qua Casaubonus: „Omnino ridicula expressa summa, quae ne ad centum quidem aureos accedit. Ego vero nullus dubito et in Suetonii et in isto Plinii [VII, 39] loco numerum aliquem desiderari, omnibus ante dictis maiorem. Franc. Hotomannus ... emendabat *tricies septingentis*: cui equidem, ut in re dubia, assentior, etsi summa illa praegrandis est ac paene stupenda. Sed Romanas opes et animos cogitet lector, non res hodiernas.“ Concordant iam inter se Plinius et Suetonius, ut nulla mutatione opus sit.

milibus] P. cum ceteris libris *millibus*. Sed v. ad c. 8. Voss. *M.* Ven. *milibus*.

numum] Vulgo *nummum*. Par. Harl. et B. *nummis*. Ven. *nummum*.

a] Abest a vulg. et Voss. Suppeditarunt P. Par. B. Harl. cum Ven.

Q.] BCrusius cum aliis *Quinto*, ut mox *Lucium*. *Quinto* Harl.

Catulo] PR. (sed puncto anteriori *l* supposito) Voss. Harl. Ven. et Par. *Catullo*, quod exhibuit Trossius. Vulgo *Catulo*.

Apuleium] Ita P. et Par. Vulgo *Appuleium*, ut B. V. ad Apuleium de orthogr. p. 14. At Testamentum Dasum. APPVLEIVS. Ven. *Apuleum*.

Eficio Calvino] De priore nomine, in codd. varie exarato, nihil certi efficias. Oudendorp. coniecit *L. Sextio* ex inscriptionibus. WOLFIVS. Par. *Aeficio*. Voss. et Harl *Aefficio*. Possis *Aedicio*, quod nomen exstat apud Gruterum. Statius coni. *Fufecio*. Si libere agendum est in voce aperte mendosa, vide ne scriptum fuerit *a Domitio Calvino*, siquidem constat Domitiae

gentis cognomen Calvini fuisse proprium, testante nomine Cn. Domitii Calvini, de quo v. Orelli Onom. Tull p. 226.

Calvino] B. *Calvinio.* et continuo *equiti.*

Romano] Par. *R*, ut supra. Item Harl.

quadringenis] Sic recte ed. Florent. Vulg. *quadringentis.* [Ita Par.] Sic infra c. 23. ERNESTIVS.

annuis] Par. et Voss. *nummis.* Omittit. Harl. Ven. *Annius.* Erant qui *aureis* mallent.

conductum] P. *conductos.* Par. Voss. et Ven. *conductus.* Harl. *conductis.* Recte habet vulgata, a B. confirmata. Et pretiorum et mercedum exempla afferuntur, illorum Lutatius Daphnis, harum L. Apuleius, ut hic non possit non dici conductus quadringenis annuis docuisse.

edocere] Vulgo *edocuisse*, et sic B. P. Voss. et Par. *edoceret*, unde sponte prodit quod reposui. Casaubonus: „Scripta lectio *edoceret.* Scribendum *ut multos edoceret*, siquidem aliquid mutandum."

4. notissimis] Harl. Par. et Voss. *doctissimis*, idque ex Mss. affert Casaubonus.

Pescennius] Vulgo *Siscennius*, pro quo forsan *Sisennius* legendum esse adnotarat Wolfius, prorsus ut est in Ven.: quod suscepissem, si probari posset fuisse gentis nomen, quale hic desiderari docent et hominis conditio et ceterorum commemoratorum grammaticorum ex classe libertorum nomina. B. *Siscennius.* Harl. Par. et Voss. *Sistenius.* Alii *Sescenius.* Oudendorp. coni. *Caesennius*, aut *Sinnius.* Casaubonus ad Strab. IV. p. 181 citabat *Sicennius.* Horum nihil stare potest nisi fortasse *Caesennius:* sed multo praestat quod nunc de coniectura mea reposui, ad quam duxit P. exhibens *Fescennius.* Pescennius quidam inter Ciceronis familiares fuit. Nihili enim est nomen *Fescennius*, frustra muniendum Hispalae Fescenniae, meretriculae ex Liv. XXXIX, 9. sq. notissimae nomine, quod a Pighio fictum est, quum ea, si codices audiendi sunt, appellata fuerit *Fescenia*, quod ipsum nomen propter eandem caussam, qua *Fescennius*, suspectum est. In Suetonio autem incidebat etiam in mentem *Sicinius.*

Iacchus] Cognomen Romanum, praeferendum lectioni P. *Laccus*, quod nomen incompertum est. B. *Iachius* (vel *Iacchius*). Praestat tamen fortasse *Iaccus*, quemadmodum nomen scriptum deprehendo ap. Grut. p. 879, 13. Vix dubito quin idem *Iacchus* sit, quo usum in libro XXXVII se esse Plinius profitetur Indice auctorum.

Oppius] Ven. *Opius*.

Chares] Vulgo *Cares*, et sic B. Illud ex Par. reposuit Wolfius, firmatum P. Idem ex Voss. reposuerat Oudend. neque aliter Harl. et Ven.

cum] Ita P. Harl. et Par. Ven. *quom*.

ingressu] Vulgo *gressu*. Wolfius: „Ed. Flor. *ingressu*, melius. ERN. Idem est in Paris. Quod vitiosum potius dixissem.“ Firmant P. Par. Harl. et B. neque in eo vitii quicquam est. Plinius XI, 16, 16: *crura recta, ingressus celsior*. Ven. *in gressu*.

deficeretur] B. *deficeret*. Illud ex Mss. quoque affert Statius. De constructione ablativi v. Schwarz. ad Plin. Paneg. 26.

visu] Ven. *in visu*.

CAPUT IV.

1. invaluit] P. et Harl. *valuit*, haud deterius fortasse: illud tamen Suetonianum. Vesp. 11: *Libido atque luxuria, coercente nullo, invaluerat*.

Cornelius quoque] Par. Voss. et B. *Corneliusque*, haud peius. Omittit *quoque* Harl.

2. libello] Olim praemittebatur *in*, nunc ab Oudendorpii inde aetate omissum ad fidem codicum, quibus etiam Bongarsianus accedit, teste Oudendorpio.

quo] Cod. Bongarsii *quodam*, probante Casaubono.

distinguit] Ed. Vineti Pictav. *distinxit*.

vulgo quidem] Ita Par. Harl. et Ven. Vulgo cum P. et B. *quidem vulgo*. Sanior ille verborum ordo, quoniam vulgi appellationem propriae opponi ex sequentibus constat.

diligenter aliquid] Par. Harl. B. et Ven. cum vulg. *aliquid diligenter*. Abest *aliquid* ab ed. Flor. teste Ernestio.

2. appellandos] Par. et Harl. *appellant.* B. *appellat.*

grammatici] Vulgo γραμματικοί, et sic B.

3. eosdem etc.] Vulg. haec verba ad praecedentia referuntur, distinctione ante *Messala* posita, omissoque verbo *ostendit.* Correxerunt iam Oudend. et Wolfius. BCRVSIVS. Ex. ed. Flor. Ernestius addiderat *ostendit*, a Casaubono iam ex Mediol. commendatum, cuius loco quod ex Bongarsii codice a Schotto memorato affertur *scribit*, id quum Wolfius aeque ac *ostendit* suspicionem glossematis movere dicit, refutatur iam consensu P. Par. Voss. B. et Harl. cum Ven. *ostendit* exhibentium.

literatores] B. *litteratos.*

Messalla] Harl. *Mesalla.* P. cum ceteris libris *Messala*, praeter Par. et B. exhibentes id quod cum Wolfio expressi, auctoritate titulorum fretus, quorum antiquiores receptam scripturam unice agnoscunt. Ut Gruterianas omittam, laudare iuvat titulum circa a. u. c. 772 et 773 inscriptum, a Mommsenio vulgatum (Berichte d. k. Sächs. Gesell. cl. hist. phil. T. I. p. 290). Item nummi: quandoquidem recte Eckhel Doctr. num. T. V. p. 334 solam nominis formam MESSALLA in gentis Valeriae nummis iisdem exhibet, in quibus secundum exempla Raschio T. III, 1. p. 568 allata etiam MESSALA fertur. Sed vide eundem Raschium paulo post p. 576. Eadem in nummis scriptura n. *Messallinus:* plerumque tamen et nummi et tituli consentiunt in *Messalina.* Ceterum iuxta nominis *Messalla* formam Antoninorum temporibus alteram in usu fuisse testatur quod idem consul a. 966 in lapide Romano (Z. f. d. A. 1845. tab. ad No. 65) *Messalla*, in altero, qui prope Bonnam repertus dicitur (Lersch Centralmus. I. p. 4) *Messala* nuncupatur. Formae nominis una *s* scripti non novi exemplum ullum certum.

Furio] Ven. *Ficrio*

nec] PR. *ne*ᶜ.

Ticida] Par. Harl. et Voss. *Rigida*, sed c. 11. *Ticida.* Vulgo cum B. *Sigida:* alii *Sedigito*, auctore Wowerio. Ven. *rigido.*

4. distinguant] PR. *distingant.*

Graeci] PR. *Greci.*

a grammatista] Par. et Harl. *et grammatistam.*

et illum] Statius ex vet. impr. affert *ne illum* legendumque proponit *ut illum*.

illum quidem absolute] Par. *illum istum quidem quidam abs.* falsa dittographia, ut patet ex Harl. ferente *istum illum quidam abs.* Ut *quidam* ferretur, scribendum esset *existimant*, cuius scripturae in libris nullum est vestigium.

5. Namque] Ita PR. et B., hic vero *nanque*, qua de scriptura v. ad Cic. Rep. p. 142. Vulgo *nam*, ut Harl. Par. et Ven. id quod edidit Trossius. De restituto *namque* cf. c. 9, 3.

cum] Ita Harl. P. et Par. Alii *quum*. Ven. *quom*.

quem] Ven. *quemquam*.

titulo] P. Voss. Par. B. et Harl. cum Ven. *titulos*, patente erroris origine. Expressimus vulgatam.

perfectum] BCrusius, ignoro unde, *perfunctum*.

literis, sed imbutum] Ven. *sed litteris imbutum*.

6. et rhetoricam] Copulam omittunt P. et B.

iam] Par. et Harl. *tam*. Ven. *iam tam*.

nihilominus] Par. et Harl. *nullominus*, et mox *ipsis*. Ven. *minus* pro *nihilominus*.

apparandam] Vulgo cum Harl. Par. B. et Ven. *praeparandam*, cuius loco Ernestius et Oudend. malebant *praeparantium*.

paraphrasis] Par. et Harl. *periphrasis*. Vulgo *paraphrases*. Eadem accusativi forma supra c. 2. in *acroasis*. Ven. *peraphrasis*. Tenendum est toto hoc loco agi de institutione rhetoris per grammaticam, cui et ipse Quintilianus ea rudimentorum genera relinquit; qui ubi de officio grammatici agit, I, 9. pr.: „Et finitae quidem sunt partes duae, quas haec professio pollicetur, id est ratio loquendi et enarratio auctorum . . . Adiiciamus tamen eorum curae quaedam dicendi primordia, quibus nondum rhetorem capientes instituant. Igitur Aesopi fabellas, quae fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, et nihil se supra modum extollente, deinde eamdem gracilitatem stilo exigere condiscant: versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari: tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam et exornare, salvo modo poetae

sensu permittitur ... Sententiae quoque et chriae et ethologiae subiectis dictorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt; quorum omnium similis est ratio, forma diversa: quia sententia universalis est vox, ethologia personis continetur ... Cetera maioris operis ac spiritus Latini praeceptores relinquendo necessaria grammaticis fecerunt: Graeci magis operum suorum et onera et modum norunt. Haec de grammatice quam brevissime potui etc." Tum de paraphrasi idem X, 5, 5: „Neque ego παράφρασιν esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus, necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum, aliquid illis, quae dicta sunt, melius posse reperiri: neque adeo ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici, nisi semel, non possit". Contra solis rhetoribus *periphrasis* relinquitur. Idem VIII, 6, 61: „Quidquid enim significari brevius potest, et cum ornatu latius ostenditur, περίφρασις est: cui nomen Latine datum est, non sane orationis aptum virtuti, *circumlocutio*. Verum haec ut, cum decorum habet, *periphrasis*, ita, cum in vitium incidit, περισσολογία dicitur."

allocutiones] *Elocutiones* [ut vulgabatur] mutavi in *allocutiones* ex Paris. [*alloquutiones* cum Harl. exhibente] et aliis Mss. Conf. Caperon. ad Quintil. I, 9. p. 65. WOLF. V. tamen Spalding p. 207. Voss. *adlocutiones*. *Alloc.* etiam Mediol.

ethologias] P. *ethiologias*. Par. et Harl. *etymologias*. B. cum Ven. *ethimologias*. Mediol. *aethologias*. V. quae excitavimus ex Quintil. I, 9, ubi in eadem voce iidem errores scribendi codices invaserunt, a Spaldingio notati, collatis iis quae leguntur ibid. c. 8, 17: „Praecipue vero illa infigat animis, quae in oeconomia virtus, quae in decoro rerum; quid personae cuique convenerit; quid in sensibus laudandum, quid in verbis." Morum descriptiones interpretatus, Grosius subdit: „Cf. Quint. inst. 1, 7. et Senec. epist. XCV. Graece ἠθοποιΐα. Cf. Hermogen. Progymn. IX. Theon p. 85. Aphthonius p. 101." Adde Marcellinum vel, si malis Didymum, Vita Thucyd. p. 336. Poppo.

alia hoc genus] Par. et Harl. *alias huius generis*. Tum iidem *nec* pro *ne*.

scilicet] Omittunt Par. et Harl. cum B. et Ven. Proba illa vocis sedes. Vesp. 2: *ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret.* 7: *ut scilicet*.

iam] Par. *ideo*. Omittit Harl.

7. reputo] Ita B. quoque. Adhuc vulgatum *repeto*, quod retinent Harl. et Par. cum Ven.

nomine] Ms. Schotti *Rome*, L. I. Obs. hum. c. 17. inepte. Vide ad Ner. C. 33. OVDEND.

mane vero] Vulg. cum Par. Harl. B. et Ven. *vero mane*. Rectus ille verborum ordo, licet praeter consuetudinem; quoniam discernitur inter *mane* et *post meridiem*.

remoto] Abest a Par. et Harl., sed relicto spatio vacuo. A Pith. simpliciter abesse traditur.

declamare] Pith. *declarare*, probante Schotto, scilicet, „*ut* e pluteis docuerint; unde Persius — *pluteumque occidit*."

8. nostrorum] Adieci ex solo PR. *nr̃orũ* exhibente. Cic. pro Rabirio perduell. reo 6, 15; *memoria vestra ac patrum vestrorum*.

grammaticis etc.] Ita vulgo olim atque etiam Par. Statius: „Vet. imp. *eludendo*, non *ludo*. leg. *e ludo*. In manuscripto altero *e grammatici statim ludo*: in altero *e grammatici Statii ludo*." Ernestius: „Legendum cum Statio et Casaubono: *e grammatici statim ludo*: aut *a grammaticis statim et ludo*. Etiam ed. Flor. omittit *e* ante *ludo*. Delevit et Oudendorpius." Hinc cum Oudendorpio Statii Ms. freto Wolfius et BCrusius *e grammatici statim ludo* in contextum susceperunt, firmatum B. Harl. cum Ven. certe *e* omittit. Sed non sermo est de grammaticorum discipulis, qui ex schola in forum statim transiissent, sed de ipsis grammaticis. Tum in verbis ipsis nulla caussa offendendi. Caes. 39: *sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit*.

statim] Ven *statum*.

transisse] Par et Harl. *mersisse*.

numerum] Iidem *numero*.

9. prodi] Primitus omissum supra lineam addidit librarius P. teste Ritschelio.

dumtaxat] Hanc vocis scripturam, vulgo receptam et unice genuinam (v. ad Cic. de rep. II, 32. p. 220) firmat Par. Harl. et B. P. *duntaxat*, ut BCrusius.

CAPUT V.

1. Saevius] *Suevium* potius vocari volunt viri docti e Macrob. Sat. 2, 14. ERN. Alii *Severum*, alii *Succium*. Nihil liquet. WOLFIVS. PR. Harl. et Par. *Servius*, quemadmodum hoc nomen in inscriptione legitur, quam ex Reinesio citat De Wal Mythologiae septent. monum. epigr. p. 73. *Saevii* nomen exstat ap. Grut. p. 237, 1, ex scriptura Ligorii. Si quid mutandum, malim *Saenius*, nomen titulis haud paucis corroboratum, et obvium apud Sallust. Cat. 30 et Fronton. p. 129 Rom. Nam de Suevii, quem restitui malebat Furlanettus quoque ad Forcell. h. v. nomine etiam minus quam de Saevii liquet.

Nicanor] Par. et Harl. *Niganor*.

fecitque] Par. cum Harl. *ferumque*, notabilis lectio non de trivio, quam paene recepissem, ni P. pro auctoritate esset.

tamen] Par. et Harl. cum Ven. *tum*.

intercepta] Par. et Harl. *recepta*.

saturam] Ita Harl. Vulgo vel *satyram*, ut P., vel *satiram*, ut Par. et B. Nicanor certe *saturam* opus suum inscripsit ut Lucilius: v. ad c. 2.

libertinum] More saeculi Suetonius ita Nicanorem appellavit, qui ipse semet *libertum* nuncuparat. V. Manut. ad Cic. pro Rosc. Am. 7.

per haec] Vulgo omittebatur praepositio. Wolfius: „Edd. Flor. et Mediol. *per hoc*. Probantque viri docti. ERN. Nimirum propter *se*, quod expungendum esset, si simpliciter *hoc* legeretur. *Per* in vett. editt. et in codd. est, ut Paris. Eadem locutio etiam in vita Terentii non longe a princ.“ Itaque vulgatum nunc *per hoc*, quod exstat in Voss. quoque et Ven. Quod ex P. dedimus, firmavit B. cum Harl.

indicat] Voss. et Harl. cum Ven. *indicatur*.

Saevius] Par. Harl. et Ven. *Servius*, ut supra, et ita etiam mox. Ex Statianis libris affert Oudend. *Serrius*.

Nicanor etc.] B. *Nicanor ad primus ad famam Marci*, male consutum ex superioribus.

negabit] Wolfius suspicabatur *negabat*, id quod praestat Pith. adnotante Schotto: „pendente inscriptione, ut in titulis artifices solent: *Apelles pingebat* etc.“

Postumius] Hoc nomen nec pro cognomine esse potest [v. Oudend.], et peccat in metrum, quod hexametrum est, eliso ubique *s*. Gronovio videtur scrib. *Postumianus*, Oudendorpio *Postumuleius* [vel etiam *Postulenus*], nomen ex lapidibus notum, et quod latet fortasse in aberratione quorundam codd., ut Paris. [et Harl. Ven. et P.], *post huius*. Deinde *sed* metri causa interpolatum est; codd. fere habent *at*. WOLFIVS. Edidit igitur *Postumius, idem at*, quod repetiit BCrusius. Trossius vulgatam expressit *Saevius Posthumius idem sed M. d.*, P. scriptura infra adnotata. Ex uno Ms. Statius affert *post huius*, ex altero *post hic*, ipse totum locum sic constituens: *Saevius Nicanor Marci libertus, negavit Saevius Postumius, ast idem Marcus docebit.* Minime vero in metrum peccatur, ut aiunt, si peccare est quod ultima nominis *Postumius* propter arsin acuitur; neque in cognomine *Postumius* haerendum. Par. et Harl. *at* pro *sed*. P. et B. cum Ven. *ac*, quod verissimum, iungendum scilicet cum *idem*, quo demum sensus efficitur necessarius, ut una eademque persona in utroque versu intelligatur. Recepto vero *ac* versus ruit: quo fit ut ipse an *Postumius* recte legatur vehementer dubitem: ruetque utique versus, cuiuscunque nominis nominativum reponamus, ita ut probabile sit ante *idem*, si quidem *Postumius* probemus, sive *Postumus*, quod aeque scribi posset, unam alteramque syllabam excidisse. Tutissimum nunc visum, codicum lectionem exhibere immutatam.

ac] Vet. impr. lectionem, qua *ac* omittitur, sibi placere ait Statius, probavitque Casaubonus.

2. infamiam quandam] Pith. *infantiam*.

ibique diem obisse] Alia lectio *ibique dicitur obiisse* CASAVB. Vox *diem* in Par. ita scripta, ut *dicit* significet, prorsus ut c. 9. Distincte *dicit* Harl. Tum *obisse* scripsi ex PR. et B., ut supra *transisse*.

CAPUT VI.

1. Opilius] P. *Opimius*. De hoc grammatico disseruimus Zeitschrift f. d. Alterth. 1849. No. 25. sq.

Epicurei] Par. et Harl. *Epicuri*.

primo] Par. *patrio*, et mox *demissa*, et *Ruffum* (ita Ven. quoque) et *sequutus*. Prorsus ita Harl., nisi quod recte *primo* scripsit. Scilicet vocem in codice, quem Harl. et Par. descripserunt, per compendium hunc fere in modum, *pro*, exaratam recte ille explicuit, hic secus. Cf. notata ad *praecipuum* c. 8.

deinde] PR. *deiñ de*, puncto postremae *d* subiecto.

2. Smyrnae] P. et Par. *Smirnae*.

simul] Ita B. quoque. Par. et Harl. cum Ven. et vulg. *simulque*.

eruditionis] B. *eruditiones*.

quia] Vulgo *qui quia*, quod retinent invita constructione codd. omnes, quos novi. Wolfius: „Varie tentatur hic locus. Ego delendum puto *qui*. ERN. Hoc et Oudendorpio placet; ut *novem* pertineat ad seqq. infinitivos, non ad verbum *composuit*. Id ni ita esset, cum Broukhus. scribendum esset *quos quia*; tametsi etiam corrigi licet *quae*, *quia*. Tum *ex quibus* erit *exque his*, *in his*, ut Aug. 29. pr. Conf. ad Caes. 52. Sed nihil horum certum est, nisi vulgatam lectionem corruptam esse." BCrusius, qui vulgatam retinuit, „*qui quia*] h. e. *ut qui*, *quippe qui* [item interpretatur Grosius]. Vanae sunt emendationes vel falsae *quos quia* et *quae quia*. Melius tamen oratio fluit, deleto *qui*, ut verba: *novem unius corporis* referantur ad *scripsisse*." Tam facilis haec loci correctio, iam olim a me commendata Zeitschr. f. d. Alterth. 1849. No. 25. p. 193, ut in contextum suscipere ausus sim.

non] B. *et non*.

fecisse et scripsisse] Sic bene ed. Flor. Vulgo [ut B.] *scripsisse et fecisse*. ERN. Cum Flor. faciunt codd. Voss. et Paris. [item P. et Harl.]. At quicquid praeferas, haeret aliquid scabri, nisi corrigatur *inscripsisse*. WOLFIVS. Non est locus haerendi, quum praesertim adiectum sit *ex appellatione*. Scho-

liasta Ciceronis pro Sextio in Maii Auct. class. T. II. p. 150: *Accii fabulam, quae scribitur Eurysace* [leg. *Eurysaces*], ubi Orellius mavult scribi *inscribitur*, quemadmodum paulo infra ab eodem Scholiasta dicatur: *haec etiam praetextata Brutus inscribitur*. Charis. I. p. 102: *Ateius Philologus librum suum sic edidit scriptum: An amaverit Didun Aeneas*, ubi et olim et nunc vulgatum *inscriptum*, citra Codicis auctoritatem.

3. Huius cognomen in plerisque] Par. et Harl. *in plerisque huius cognomen.*

literam] Praemitti volebat *L* Gronovius probante Oudendorpio. De toto hoc loco v. nobis notata Zeitschr. f. d. Alterth. l. l. p. 198. Nihili est quod BCrusius putavit, geminari potuisse litteram *p* in nomine *Opilii*.

id] Pronomen abest a Voss. Paris.que, [adde B.] et sane elegantius. Imitatus sum. WOLF.

duas] Addit PR. *lras* (litteras), sed simul compunctum.

effert] Ven. *efert.*

parastichide] Par. et Harl. *perastichide*. PR. *parasthichide*. Quae de parastichidum usu a nobis l. l. notato allata sunt, augeri hoc Diogenis Laert. V, 93 testimonio possunt: τοῦ δ᾽ἀρνουμένου καὶ ἀπιστοῦντος ἐπέστειλεν ἰδεῖν τὴν παραστιχίδα· καὶ εἶχε Πάγκαλος. Ita enim ex cod. Farnes. pro Πάγκαλον cum Menagio legendum.

libelli, qui inscribitur] B. *libellis qui inscribunt*. Olim vulgabatur *libellis*. R. Steph. *libello*.

CAPUT VII.

1. Marcus] B. *M.*, ut vulg. Abest omnino a Par. Harl. et Ven.

Gnipho] P. et Ven. *Gnifo*, ex usu serioris aevi. V. ad Cic. de rep. p. XVII. et 452 sq.

expositus; a nutritore suo manumissus] P. distinguit *expositus a nutritore suo. m.*

Dionysi Scytobrachionis] P. *Dionis Scythobachionis*. Ernestius: „Ed. Florent. *Scythobachionis*. Scripsi *Scytobrachionis* cum Oudendorpio. Nam Graece est Σκυτοβραχίων.“ V. Suid.

ibiq. Bernhard. T. I. p. 1384. Tetigit Schoemannus De Hecate Hesiodea p. 24. Ven. *Dyonisii Scitobrachionis.*

crediderim] Par. et Harl. *crediderunt.*

cum] Ita PR. et Harl. Ven. *quom.*

Graece] Ven. *Graecae.*

umquam] PR. et Harl. *unquam.*

cum] PR. et Harl. *quum.*

consecutus] Par. et Harl *consequutus.*

2. primum] Par. et Harl. *prius,* ut Ven. quoque.

pueri] Additur vulgo *adhuc* cum Par. Harl et Ven. Abest a P. et B.

3. autem] Omittit Harl.

4. his] Ita cum vulg. etiam Par. Harl. et B. P. *iis.* Ven. is.

M.] Ita etiam ceteri libri cum Ven. Iidem excepto P. mox *et* pro *etiam.*

praetura] PR. *pretura.*

5. quinquagesimum] Harl. *L,* ut Ven., et mox ille *excesserint.*

etsi] Ven. *et si.*

Atteius] Par. et Harl. *Athenis,* et mox *impensius* pro *ipsius.* Ven. *Ateyus.*

suum] Id est *Atteii,* eius qui haec tradit. Sin ad Gniphonem referretur, deberet esse *eius.* WOLF. Item statuit Burmannus, hac de caussa a BCrusio reprehensus. Etiamsi per aetates Atteii et discipulorum Gniphonis liceat, tamen ad Atteium non potest *suum* referri, quum etiam suum nomen in scriptis istis alicubi reperiri, putidi monitoris fuisset. Immo intelligitur nomen Gniphonis, cuius caussa omnia hic exposita scribuntur: neque ab usu possessivi pro pronomine tertiae personae, ubi perspicuitati sensus non officeretur, scriptores vel optimi prorsus abstinuerunt, et invicem. V. BCrusium ad Calig. 34. Scilicet Gniphonis mentione Atteius demonstrare voluit, istius illa scripta esse non potuisse.

reperiri] In vet. impr. *reperiri,* non *reperi,* ut repetatur *Attejus Philologus tradit;* itaque est in manuscript. STATIVS.

ut hoc] Haec absunt a vulg., nunc ex P. et B. reposita,

firmandaque ex Par. et Harl. (in quo capitis finis) certe *ut hic* exhibentibus. Idem Ven., sine indicio lacunae. Quot verba post *ut hoc* exciderint, equidem puto non multa, et qui sensus supplendus sit, videant acutiores. Ex iis quae ad v. *suum* statui, probabile est, productum esse ex scriptis discipulorum locum, quo Gniphonis mentio facta esset.

CAPUT VIII.

1. Marcus] B. *M.*, ut nunc vulgatur. Wolfius: „Praenominis notam addidi cum Oudend. ex Paris. [immo hic *Marcus*"] et Voss. Desunt et nomina alias et in hoc codice, quum exstent in ceteris libris." *Marcus* Mediol. cum ceteris.

desidiosior] Harl. *dissidiosior*.

grammaticae] Par. Harl. et Ven. *grammatica*.

scholam] PR. *scolam*, et mox *elencorum*.

2. cum] Harl. et B. *quum*. Ven. *quom*.

Gniphoni] P. *Gnifoni*.

etiam] Par. et Harl. *•n•*.

videret] B. *videretur*.

otio] PR. *ocio*, de quo scribendi errore v. ad Cic. de rep. p. 360.

coactus] Par. et Harl. *cohactus*.

praecipuum] Par. *principium*, non recte explicato compendio, quo in codice, quo librarius utebatur, vox scripta erat. Recte explicuerat Harl. V. monita ad c. 6 de variante *primo* et *patrio*.

suum Annalium Enni] Verba *suum* et *Enni* ante Oudend. a vulg. aberant. Exstant non solum in Edd. Mediol. et Flor., sed etiam in reliquis libris. Par. cum Harl. *•n•*, Voss. *n.* pro *Ennii*, cuius vocis vim librarii isti non assecuti sunt. Fallitur igitur BCrusius, quum invitis codd. *Ennii* ab editoribus intrusum ait: tum etiam in ratione mira ea, quam commentus est, *Ennii* mentionem bene abesse demonstraturus. Scilicet qui *•n•* exhibuerunt, *ennii* (vel *enni*), quod in codice reperiebant, *enim* esse putantes, hoc proprio suo scribendi compendio expresserunt. De quo vide dicta ad Apuleii Orthogr. p. 26.

Enni Elenchorum] Ven. *ennil lenchorum*.

sedecim] Par. Harl. et Ven. XVI.

milibus] Ita B. et Ven. Trossius invito codice *millibus*, quod retinent et Par. et Harl.

numum] Ita P. quoque c. 3. Vulgo *nummum*, cum ceteris Mss. et Ven.

3. dicit] Ita etiam Harl. Par. et Voss. haud male, ut ait Wolfius. Vulgo *dixit*, ut B.

vulgandosque] Par. et Harl. *vulgatosque*.

auctoris] PR. *autoris*.

CAPUT IX.

Orbilius] Praenomen hominis tam hic quam c. 10, 11 et Rhet. 4 omissum supplent Indices, libello praemissi, quorum auctor quo fonte usus sit me fugit. Nam ea praenomina casu de contextu scriptoris excidisse, non fit probabile ex uniformi omnium codicum conditione. Diversa ratio est in Verrii Flacci praenomine c. 17, ubi v. not. Contra est ubi Indicis auctor praenomen a Suetonio perscriptum omisit, ut in Valerio Probo.

morte] Par. *more*, et mox *in inimicorum*.

interemptorum] PR $\overset{iter}{\textit{nemptorum}}$.

primo] Par. *patrio*, eodem errore quo supra.

apparituram] Par. et Harl. *apud praeturam migrantibus*. Ven. *aperituram*.

moxque] Par. Harl. et B. cum Ven. *mox*, ut vulgo: neque ego novi locum alium ullum, quo *moxque* reperiatur; praeterea alia est Suetonii consuetudo, in hoc genere partitionis copulis utique abstinentis. Nihilo tamen secius cod. P. lectionem servavi tum propter singularitatem dictionis ab interpolatore vix repetendam, tum quod *mox* v. *corniculo* subiungitur.

repetiit] Ita iam Wolfius coniecerat, unde in contextum suscepit BCrusius. Par. Harl. et B. *repetit*, ut vulgo.

inde] Omittunt Par. et Harl.

puero] Vulgo additur *non*, idemque servant Par. Harl. et B. cum Ven., ex mala interpolatione.

Romam] Abest a Par. et Harl.

emolumento] Ven. *emolimento*.

3. Perialogos] Ita cum ceteris libris omnibus etiam PR., ut vulgo, quamquam Trossius *perialogus* edidit.. BCrusius: „Non veram quidem puto hanc lectionem librorum, veriorem tamen omnibus coniecturis: αἰπαλόγος [Statii] περὶ ἀγαπῆς, περιαυτολόγος [Ernestii], παιδαγωγὸς [Oudendorpii]. Ceterum [certum?] mihi est, vocem Latinam corruptam esse ex περὶ ἀλόγων v. περὶ ἀλογίας [haec est Casauboni coniectura]; nam vocem περιάλογος formare non audeo. Suspicatus etiam sum: περὶ αὑτοῦ λόγος. Bipontini dederunt περιαλγής“: quae verba non nominato auctore sua fecit Grosius. Et hoc quidem περιαλγὴς Toupii de coniectura Em. in Suid. T. III. p. 134 (T. II. p. 266), titulum illum fictum ingeniose et vere, opinor, coniicientis ad Platonis comici cognominem fabulam, quae querelas de iniuriis, quas Athenienses negligentia et ambitione malorum civium accepissent, continuisse putatur. V. Meineke Quaest. scen. Spec. II. p. 22. Atque Toupii coniecturae acclamant editores H. Steph. thes. Parisienses v. περιαλγής. De ceteris VV. DD. commentis adi Turnebi Adv. XIII, 11.

negligentia aut ambitione] Sine sensu vulgo *negligenter ab ambitione*, quod Turnebus frustra interpretabatur de iniuriis, quas negligerent acceptas. Paulo melius Par. Voss. et Harl. *negligenter ac ambitione*. Wolfius ex codd., ut ait, sucepit, adstipulante BCrusio, *negligentia et ambitione*. Quod ex P. dedimus firmavit B. Statii Mss. *negligentiae et ambitione*, uti Casaubonus scribendum esse suspicatus erat. Burmannus coni. *nec infrequenter*, vel *immerentes*, vel *non negligentes*; Oudend. *negligentes rei*.

4. omni] Par. et Harl. *omnes*.

in occasione] Ita unus P. cum Edd. Flor. et Mediol. Par. Harl. et B. cum Ven. et vulg. *sermone*, sine praepositione.

Horatius] Par. et Harl. cum Ven. *Oratius*. V. Epist. II, 1, 70. Copula, quam praemisit P., carent libri scripti et impressi omnes, excepta una Ven.

Domitius] Ven. *domicius*.

ferula scuticaque] Comparandus Phanias Epigr. 2 (Br. Anal.

T. II. p. 52): ἱμάντα γε, καὶ πορικοίταν νάρθηκα — σύμβολ' ἀγωγᾶς παιδείου. Cf. Hor. Serm. I, 3, 119 et 120. Ven. *f. scuitichaque*.

cum] P. Harl. et B. *quum*. Illud PR. Ven. *quom*.

5. Varrone] P. *Varone*. Wolfius: „Macrobius Sat. 2, 6 hoc de Galba principis patre, qui gibber erat, v. Galb. c. 3. Quare ista duo nomina viris doctis insititia videntur; aberantque a vetere edit. qua Statius utebatur. Quamquam posterius deleri parum placeret.“ BCrusius: „*Varronem Murenam*, de quo v. Aug. 19 et 56. Tiber. 8, non errore librariorum vel scriptoris, sed dissensu hic nominari, existimo. Quod desunt in antiqua editione *Varrone* et postea *Murena*, id emendatione fieri potuit. Necessario enim addere debuit scriptor nomen advocati, quod quum diversum in alio scriptore reperisset vir quidam eruditus, ut nostro fit tempore, delere maluit, quam mutare“ V. Oudend.

quo] Par. Harl. et Voss. *quonam*.

6. Oblivio] Weichertus Poet. Lat. p. 357: „Vocabulum *oblivio* scribendum erat litera initiali maiuscula, quandoquidem eodem sensu accipi debet, quo, teste Suetonio de ill. gr. c. 20. C. Iulius Hyginus dictus est *Historia:* ad q. l. cf. Burmann T. II. p. 383. Caeterum in hoc versu acerba inest senilis infirmitatis exprobratio, quae de mordaci Bibaculi animo luculentum dat testimonium.“ Eiusdem Bibaculi aliud iudicium affertur c. 11.

7. marmorea] Par. et Harl. cum Ven. *marmoreo*. P. *marmoreō*.

filium] Voss. et Par. *℞*ᵐ. Ven. *exemplum*. Illud nominis compendium editorum priorum qui explicuerit, vel posteriorum qui vel attenderit novi neminem, quamquam facile apparet nihili non esse. Immo quum nihil proclivius esset, quam vocem *filium* hic positum exspectare, factum puto, ut qui codicis scripturam non intelligerent, ii *filium* eius in locum substituerent: quod inde in codices P. et Harl. irrepsit, quorum hic *etiam* praemittit. Mihi vero prorsus aliud quiddam ea scriptura contineri videtur, scilicet cognomen, quo a patre filius Orbilius discerneretur, quod et in caussa fuisse videtur, quod cognomen praeter morem nomini praepositum esset. Ac nihil magis in rem est quam ut *Rufum* reponamus. Quod si iam nihil crebrius dicatur quam

filium relinquere, quod ipsum et Suetonius Tib. 3 et Neron. 3 dixit, tamen a laudatis his aliisque eius locutionis exemplis abesse solet personae nomen, quod si verbo *relinquendi* in tali orationis structura apponitur, egere potest voce *filius:* quamquam fateor, eius dictionis aliud exemplum in promptu me non habere.

CAPUT X.

1. Atteius] De praenomine omisso v. not. ad c. 9. init. PR. *Atteius*, mox vero utroque loco *Ateius*, ut Ven. Tross. ubique *Atteius*. Par. et Harl. *Actius*, et mox ille *Attius*, hic *Ateius*, iidem postremo *Atteius*. De huius nominis scriptura quum secus statuissem Anal. crit. p. 6 et post me Cramerus Excursu IV ad Gellium p. 49, uterque in eodem errore socii, quippe titulorum aliquot auctoritate maxime confisi, nunc re curatius inspecta edoctus sum vel ex Gruteri sylloge, inter plures illud nomen exhibentes inscriptiones unam tantummodo esse, quae simplicem litt. *t* praestet, eamque pariter atque illam quam olim testis loco protuleram, aetate valde recenti incisam esse. Quamquam antiquis temporibus *Ateius* scriptum fuisse certissimum est.

est] Addit etiam B. Par. Harl. et Ven. cum vulgata *est* omittunt.

notus] Abest a Par. Voss. ceterisque omnibus codd. quos novit Oudendorpius. Abest etiam ab Edd., quibus restituit primus Graevius ab Achille Statio monitus, qui eam vocem in uno libro Vaticano reperiri eiusque loco in Ed. vet. aliqua *natus* legi testatus est, quod ipsum praestat Harl. Cui scripturae fides nunc accessit ex P. et B. Etsi *notus* Oudendorpius non damnet, tamen ait repetitum posse putari ex praecedentibus. Ego prorsus delendum censeo, corruptelae viam monstrante lectione *natus*, ex qua demum *notus* prodiit. Ven. *nominatus*, ex interpolatione, opinor, vocis *notus*, quam codex editoris suggereret.

2. Sallusti] Par. et Harl. cum Ven. *Salustii*.

affectatione] Par. *affectione*.

fecit] Quidam libri *fuit*. Probat Burmannus; et ipse, si legatur *adiutor*. ERN. At sequitur statim *adiutor*, ut contra

monet Oudend. Vulgatam formam loquendi scite defendit Ruhnkenius ad Velleium 2, 112. WOLFIVS. Libri Ernestio commemorati iidem esse videntur, quos affert Oudend., Ms. Petavii et Coll. Voss. quibus nunc accedit Par. cum Harl. *fuit ei* exhibente, sed signis additis, quibus *ei* ante *fuit* reponi debere significatur.

quidam] B. *quidem*.

Praetextatus] Vidit iam Casaubonus esse Atteii cognomen. In adiectivi formam exhibuit P. Unus *Praetextatus* notus est ex Gell. I, 23 et Macrob. Sat. I, 6. Alia exempla plura suppeditabit Gruterus.

declamantium] B. *declamantibus*.

auditor] Vulgo *adiutor*. Quod reposuimus ex P. iam a Statio coniectando inventum, firmant Harl. B. et Par. cum Ven. Intellige auditorem, qui declamantium exercitationibus non tam audiendi quam monendi caussa adest.

praeceptor] Ven. *professor*.

summam] PR. *sumã*.

3. Laelium Hermam] Vulgo *Laelium Hermam*, ut P. et B. Wolfius: „Male Ernest. servarat *Lucium H.* e Casauboni errato. *Laelium* cum reliquis Mss. Paris. [*Lelium*] praebuit, sed idem omisit *Hermam*.“ Idem Herma sive Hermas paulo infra rursus commemoratur, a quo distinguendus alter ille, qui mox Gniphonis fuisse dicitur, de quo suo loco disseretur. Horum nomen num proprie *Hermagoras* fuerit, quod quidam contendunt, quod Ἑρμαγόρας apud Graecos in Ἑρμᾶς decurtari solitum sit, id in medio relinquendum, quum de neutro homine aliunde certi quicquam constet; nam de rhetore Rhodio haud magis cogitandum, quam de altero temporibus Augusti Tiberiique claro, quorum aetates bene nuper distinxit Pideritus Comm. de Hermagora rhetore, Hersfeldiae 1839. Neque omnino homines a Suetonio commemoratos, si revera *Hermagorae* nomen habuerunt, alio hic appellari potuisse existimo. Horum virorum memoriam unice acceptam referimus Suetonii diligentiae. Si autem E. Grosium audimus, de nomine Hermae omnino actum est. Hic enim libro, qui inscribitur Mémoires sur la Rhétorique chez les

Grecs, depuis la mort d'Alexandre jusqu'au règne d'Auguste, Parisiis 1838, teste censore in Ann. Heidelb. litt. 1841. No. 17. p. 299 (nam ipsum librum evolvere non licuit), primo loco voce *Hermam* deleta rescribi iubet *L. Aelium* (puta Stilonem) pro *Laelium:* cui coniecturae mirifice favent Harl. et Par. qui *Hermam* omittunt, ut nihil ea certius esse videretur, nisi simul consequeretur, ut nomen *Hermam* etiam tertio loco, quod Grosium non fugit, expelleretur, una cum verbis *ad eundem*, invitis libris omnibus, quos deserere nefas puto, quum loci mutandi nulla omnino adsit necessitas. Quemadmodum enim Laelius Archelaus (c. 2.) nomen Latinum a patrono suo Laelio quodam adsumpsit, quidni idem factum dicamus in Laelio Herma?

audisse] Harl. *audiisse*, ut vulgo.

Gniphonem] P. *Gnifonem*. V. supra.

eiusque Hermam] Sive filium sive discipulum. ERN. Immo servum vel libertum. Haec usitata ellipsis esse solet. [V. praeter Oudendorpium Beitr. z. Gesch. d. Gr. u. Röm. Litt. T. II. p. 153. Acad. de Bruxelles T. VIII. Bull. No. 2. p. 2. Grosius l. l.: „Au milieu de suppositions accumulés par les commentateurs, je choisis la plus vraisemblable, celle qui signale ici l'ellipse de *discipulum* ou *socium*, semblable à l'ellipse de μαθητὴν ou γνώριμον chez les Grecs."] Sed ambiguum est scriptoris culpa, utrum Hermas ipsum docuerit, an ipse Hermam. Verisimilior tamen recepta distinctio. WOLFIUS. Sine distinctione P. *Hermam postea docuisse*. Wolfianam, vel potius Oudendorpianam ideo praestare iudicavi, quod si *Hermam* cum *postea docuisse* iungimus, Atteius in vitae ipsius decursu, quem breviter adumbrat, professionem ab ipso tandem susceptam omisisse videtur. Par. *Hecniam* pro *Hermam*; Harl. *Herniam*. Post *eiusque* Statius *f.* inseri iubebat.

4. autem] Ven. *aut*.

in quis] Ita etiam B. inconcinne quidem, sed ferendum. Vitium facile sustuleris scribendo *inquè his*, vel quod magis ad scripturae elementa accedit, *iis*. Vulgo *in quibus*, ut Par. quoque et Harl.

Pulcro] Vulg. *Pulchro*, ut B. et Par. quod recepta scriptura nihilo deterius esse, ostendit titulus Vespasiani aetate inscriptus Grut. p. 101, 5 PULCHER exhibens. Alius quo divi Titi Vespasiani familia perscribitur, ibid. p. 241 PVLCER; nisi forte discriminis aliquid fuit in scriptura talium nominum in casibus obliquis, in quibus diutius a scribenda adspiratione abstinuisse videntur.

comes] Par. et Harl. *comis*.

5. Eratosthenes] Harl. *Erathostenis*. Grosius: „Hoc Apollodoro Cumano tribuit Clemens. Alex. Strom. I. p. 309: Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος πρῶτος τοῦ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα, καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. Ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖόν φασιν· ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο, γραμματικὰ ἐπιγράψας· ὠνομάσθη δὲ γραμματικός.“ Sed haec aliena ab hoc loco.

vindicavit] P. et B. *vendicavit*. Frustra sunt qui hanc formam, quae medio demum aevo invaluit, defendant, inventa mira vocis etymologia. V. Forcell. Lex. Antiquitas unice *vindicare* agnovit. Olim vulgabatur *vendicarit*, in quo iam Statius impegerat.

apparet] Pone h. v. Harl. mala ex superioribus iteratione subiicit *multiplici variaque doctrina censebatur*.

exstent] P. *extent*.

Hermam] V. not. supra ad verba *Laelium Hermam*.

significat] Ex P. Trossius *signat*, quicum quodammodo conspirant Par. et Harl. *signant* exhibentes, haud male, siquidem ea verbi vis a consuetudine argenteae aetatis haud prorsus abhorret, exemplis nonnullis, ut aiunt lexigraphi, testata apud Quintilianum et Auctorem de oratoribus. At quum PR. compendium *sigt* offerat, quod pari iure *significat* esse potest, eo minus hoc revocare dubitavi, quo certius firmatum dederunt B. *significant*, et Ven. *significat*, exhibendo. Adde quod ex aliis exemplis constat, codicis Henochiani librarium eiusmodi scribendi compendiis passim usum esse.

Hylen] P. *hilem*. Par. et Harl. cum Ven. *hylem*.

nostram aliis] Par. et Harl. *aliam nostris*.

coegimus] PR. *coegimus*. Ven. *collegimus*.

6. C.] BCrusius *Cajum*.

Sallustium] Par. Harl. et Ven. *Salustium.*

Asinium] Harl. *assinium.*

historiam] Par. teste Wolfio (nam ipse non notavi) *historias*, haud male: et sic Harl. quoque.

aggressos] Par. et Harl. *adgressos.*

breviario] Harl. et Par. *breviore*; Pith. *brevi*, probante Schotto. Vocem *breviarium* amare Suetonium, Casaubonus ostendit collatis Aug. 51 et Vespas. 21.

Romanarum] B cum Ven. *Romanorum.* Par. et Harl. *R*, ut supra.

scribendi] Vulgo erat *dicendi.* Illud et re ipsa commendatur et unice legi videtur in codd. Est etiam in Paris. WOLFIVS. Rescripsisse illud se ait Oudendorpius ex Mss. Casaub. Voss. et Ed. Mediol. Adde Harl. B. et Ven.

7. Asinium] Vulgo additur *Pollionem*, quod sustuli cum P. et B. Deest cum ipso *Asinium* in Par. et Harl. Utrumque nomen conservat. Ven.

antiqua] Par. et Harl. *antiquos.*

verba et figuras] Omittit Ven.

Sallustio] Par. et Harl. *Salustio*, ut Ven. B. *Salustium.*

cum] B. *quum.* Illud PR. et Harl.

suadere] B. *suaviter suadere.*

noto] Par. *toto*, et mox *celeri* pro *civilique.* Ita Harl. quoque praeterquam quod *poto* pro *noto* exhibet. Ven. *celeri.*

vitetque] Ven. *vitaretque.*

Sallusti] Par. et Harl. *Salustii.* Ven. *Salusty.* Casaubonus: „Mirum est, si diserte monitus fuerat Asinius Pollio ab Atejo, ut Sallustii obscuritatem vitaret, tam iniquum fuisse ipsi Atejo Pollionem, ut scriberet voces obsoletas suggeri ab eo solitas Sallustio. Sed puto verum esse quod inveni adnotatum in codice Bongarsii, delendam isto loco esse vocem *Salkustii.*"

CAPUT XI.

1. Valerius] Par. *Vulerius.* De praenomine Valerii a scriptore omisso v. ad c. 9. init.

Burseni] Quia ignotum hoc Romanis nomen, tentant viri docti

aliud reponere: ut *Burrieni*, *Burrenii*, *Nursini*, *Bursae*. Sed et *Bussenii* et *Bussieni* memorantur in Inscriptionibus. OVDEND.

ipse] Par. et Harl. *ipso*.

Sullani] Par. *Syllanis*. PR. Harl. et Ven. *Syllani*.

exutum] Ven. *exuto*.

2. ut] Omittit. Ven.

quidem] B. *quidam*.

Siren] Par. et Harl. cum Ven. *Syren*.

solus] Pith. *solos*.

facit] Heinsius coni. *capit*, refutatus a Wolfio et a Weicherto Poet. Lat. p. 359.

Is] Ignorant B. Harl. et Par. cum Ven. et vulg.; exhibent autem *inscripsit*, quod ex illo corruptum est. B. insuper addit *et*. Oudendorpius: „sic [*scripsit* nude] edidere R. Steph. et seqq. sed Mss. et Edd. Vett. *inscripsit*. Unde Ach. Stat. faciebat *idem scripsit* vel *conscripsit*, quod placet."

probantur] Harl. cum Ven. haud peius *probabantur*.

Lydiae] Par. et Harl. *Lydae*, sed antea in illo *Lydia*.

Ticida] Ven. *ticida*.

3. Cinna] Par. et Harl. *Cynna*. Ven. *Cina*.

Saecula] PR. et Harl. *secula*.

Dictinna] Vulgo *Diana*. Par. et Ven. *Dictina*. Harl. *Dictyna*. Miro, sed facili ad explicandum errore B. *doctrina*. Oudendorpius: „In aliis *Dictynna*: quasi Cinna laudasset Catonis opus poetico magis, quam proprio nomine: cum vel sic satis pateret, ipsum loqui de libro *Diana* inscripto. Sed vide Burmannum." Petav. cod. *Dictynna*.

4. extremam] Geminatur in Par. et Harl.

summa] PR. *sumā*. Ven. *summam*.

pauperie] PR. *pauperiē*. Ven. *pauperiem*.

paene] PR. et Harl. *pene*; Trossius in cod. *paene* ferri affirmat.

inopia] P. et B. cum Ven. *inopiam*.

modico] Par. et Harl. *medico*.

gurgustio] PR. *gurgustio* (supra: *geo-*), et in margine a m. rec. ΓεωρΓῶ *colotrā*

auctor] PR. *autor*.

depictas] Malebat Statius *et pictas*. Illud eodem prorsus modo

dictum quo *dealbare,* cuius de vi adi Forcell., cui adde Queroli Plautin. ed. Patav. p. 13 de Lari familiari: *iste seminudus dealbatusque incedit, toto splendet corpore . . . unde dealbatus nescio. Egomet iamdudum apud carbonarios agere te putabam, tu de pistrinis venis.*

assulas] Ita vulgo, ut B. P. *assillas.* PR. *asillas.* Par. *assyllas.* Harl. *assylas.* Ven. *assylias.*

custodis etc.] Plures igitur horti tam egeno? Id iure mirantur; accedunt aliquot libri qui habent *custodes.* Hinc Scaliger aliique [Burm. mai. et Oudend.] probabiliter confecerunt, *Custodes videt horkuli* s. *hortulo Priapos* h. e. simulacra Priapi rudibus manibus dolata. Et iam sic edidit Burmannus Anthol. Lat. T. I. p. 420. WOLFIUS. Nihil mutandum esse ostendit BCrusius, cui frustra obloquitur Weichertus Poet. Lat. p. 358, probata altera lectione, *Priapos* varias Priapi imagines, quibus hortulum suum unum grammaticus ornasset, non sumptuosas eas, sed ex assulis vel minio depictis vel ex arbusculorum stipitibus in formam Lampsacii dei recisis, interpretans. At magnopere displicent plures in uno hortulo Priapi. Tum vel sola copula *et* ostendit, assulas minio depictas cum Priapo nihil habere commune. Immo assulis minio depictis cogita gurgustium vel exstructum vel tectum. Grosius: „*Custodis* ... *Priapi* pro *custode Priapo,* et in ipso hoc genitivo est lepos, docente Hase." Par. et Harl. cum Ven. *ortulos.* Ven. *custodes,* quod quum legi animadvertisset Ach. Statius ad Tibull. I, 1, 17 in *custodis* mutandum esse censuit. Intelligitur hortulus unus, figura dicendi poetis praesertim solita. Lectionem nunc receptam approbat Wernicke ad Priap. fasc. I. p. 65.

miretur] Pro vulg. *miratur* ex Paris. dedi *miretur,* cogente sensu. Idem e Voss. fecit Oudend. WOLFIVS. In meis tamen schedis reperio diserte *miratur* ex Par. notatum, quemadmodum etiam Harl. exhibet, quod et B. cum Ven. tuetur. P. *mirâtur,* unde Trossius *miretur* in contextu, quod olim iam a Guyeto et Heinsio coniectura repertum probatur BCrusio quoque et Weicherto l. l.

sit sapientiam] Ven. *sap. sit.*

sapientiam] Burmannus probante Weicherto de intellectu artium, ut picturae etc. accipit, scilicet ut intelligatur, qua arte varia signa Priapi per domum hortulumque disposita fuissent. Quod a loci ratione valde alienum mihi quidem videtur.

assecutus] Par. *assequutus.*

quem] Par. et Harl cum Ven. *quam*, et statim *tris.*

cauliculi] Mss. et Edd. Vet. *calculi.* OVDEND. Sic Ven. Par. et Harl. *calculis.* B. *calculus.* De re v. Weichert l l. Quod nunc ex P. repositum est, iam Faerni acumen repererat.

selibra] Par. *libra.* Harl. *et libra*, aperta vitii origine. Ven. *et selibra.* V. Weichertum.

farris] Ven. *formaris.*

una] Burmannus valde probat coniecturam Heinsii: *uda.* Gronovius volebat: *ipsa.* ERN. Alii, vel potius iidem, vulgatum bene interpretantur ὑπερβολικῶς, de exiguo et nimis angusto tugurio. WOLFIVS. Guyetus *ima*, oppugnante Weicherto, qui quum hyperbole admodum frigere videatur, sibi placere ait *uda*, collato Quintiliano VI, 3, 64: *cum coenaculum eius perplueret.*

summam] Harl. *summām.* PR. *sumām;* idem mox *sumū* pro *summum.*

nutriant] Par. *mitriant.*

5. rursus] Vulgo praemittitur *idem*, ut in B. Abest etiam a Par.

omnes] Ven. *omnis.*

quaestiones] Par. *questiones.*

difficile] Difficile mendosum videtur, pro quo sagaciter Toupius ad Suidam T. III. p 174 (p. 435. Lips.) correxit *deficere*, probante Ruhnkenio ad Rutilium Lup. p. 132. WOLFIUS. Probarunt etiam Weichertus l. l. p. 359 et Franckius Exam. cr. de Iuvenalis vita p. 44. Ernestio, cui adsentior, simplicissimum videtur *difficile* adverbialiter accipere. Heinsius coniecerat *unum huic difficile;* Burmannus *unum at diff.:* quibus commentis omnis sermonis elegantia perit.

nomen] Ach. Statius *nodum.* At nihil elegantius ambiguitate vocis *nomen*, quam advertit recte Wolfius. Usurpatur *expedire* aliquid de solvendis obscuris explicatuque difficilibus, v Schwabe ad Phaedr. III, 14, 16 Passovium ad Persium p. 226,

tum etiam de aere alieno contracto, ut ap. Cic. Ep. ad Att. XVI, 6: *nomina mea, per deos, expedi, exsolve.* Cf. eundem VI, 7 et Lamb. ad Plaut. Amph. prol. 4.

Zenodoti] Ven. *Zenodocti.*

iecur] Haerent in explicanda voce interpretes, quorum unius Wolfii probo iudicium, poetam dicentis respicere ad commotum et fervidum ingenium grammatici Mallotae cum adversariis ex illorum temporum more animosius disputantis. Quae Wolfius Burmanno sec. allata a loco aliena iam censuerat, ea rursus cupidius arripuit Weichertus Poet. Lat. p. 359 suaque fecit. Vellem hunc Bibaculi locum gravissimum Köpkius silentio non pressisset, Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 56, ubi veterum sententias de psychica iecoris natura exponit. Ceterum totam exclamationem eadem mente a poeta conscriptam accipio, qua illud *hic Rhodus* in loco deficienti inculcatum est. *Cor* prudentiam interpretatus Grosius, „*iecur*, inquit, eadem ingenii significatione positum, sensum fere mutato vocabulo geminat." Quae Turnebi et Ernestii sententia fuit.

Cratetis] P. *Crateri.*

CAPUT XII.

L.] BCrusius *Lucii.*

Corn.] Vulgo *Cornelii:* et sic B. Par. et Harl. cum Ven.

Sullae] P. *Syllae* (ut Par.), at supra c. 11. idem *Sullani.* Mox rursus *Sylla*, ut Par. quoque; Ven. *Silla.* De nominis scriptura v. ad Pompon. de orig. iur. p. 53. sq. et Hand ad Statii Hercul. epitrap. p. 30.

in] Addidi *in* ex ed. Flor. ERN. Sic etiam codd. Voss. et Paris. Quamquam in tali loco alias omittitur praepositio. WOLF. Addunt et Harl. et B.

augurali, filioque eius] Par. *augurali quoque filio eius.* Harl. et Ven. *aug. filio quoque eius.* Oudendorpius coniecerat *ei filioque eius.*

quare] P. *quasi.* Illud uno ex Ms. (Vatic.) laudat Statius.

numquam] Par. et P. *nunquam.* Harl. *unquam.*

edidit] B. *dicebat edidit*, ex interpolatione.

imperfectum] Harl. Par. et Voss. *nuper factum*. B. *factum*. Oudendorpius confert Caes. 56: *qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit*.

CAPUT XIII.

Staberius etc.] Wolfius: „*Staberius Hiera suo hero*] Haec vulgaris lectio est. Illud [*Staberius Eros hero suo*, ut nunc vulgatur], quod cum Oudend. adscivi, ex praeclara emendatione Scaligeri [ad Manil. p. 2.] est, per codd. firmata. Meminit huius Erotis, tamquam grammatica professione clari, Plinius lib. 35. extr.“ Casaub. *Laberius Hiera suo hero*. Totus hic locus singulari aliquo fato, ut opinor, in Mss. corruptus est: nec tamen de restituendo eo desperandum. Ac primum notandum, *Staberius* exhiberi a P. B. Ven. et Mediol. Harl. *Vtaberius*. Par. *Valerius*. Insequentium haec scriptura in codd. apparet. P. *hero suo metre* (in marg. *herosnometra*, quae correctio non potest putari Ioviani, quum recepta lectione nihilo sanior sit, sed profecta debet esse ab Henochiani libri scriptore, qui quod in codice reperiebat suo et describebat aliquo modo illustrare vel corrigere volebat) *emptus*. Ven. *hero suo nametra emtus*. Unus cod. Statii: *Staberius hero suo Metre emtus de catasta*; alter: *Straberius nametra epturus*, ex quo ipse, ut refert Statius, faciebat: „N. M. C. ut sit *nummorum millibus centum*.“ Vides iam tum librarium laborasse ipsum nec quid rei esset perspexisse. Haud planius B. et Par., quorum ille *hierausuomenae emptus heros empturus*; hic: *Heros* (tum spatium vacuum octo novemve litterarum) *empturus nametra*. Hunc vides exemplum integrum non habuisse aut legere nequisse, illum scripturas duas, alteram fortasse a correctrice manu profectam, in unum conflasse: quod planum fit ex Harl. cum spatio vacuo exhibente *heros* (*al. hiero*) *suo* *empturus nametra de catasta*. Iam ex codd. scriptura apparet certo *hero suo* olim scriptum fuisse; quod firmatur Voss., ex quo Oudend. affert *heros suo*; tum haud minus probabile est, ante haec verba *Eros* locum habuisse, quod in *heros* corruptum propter seq. *hero* absorptum fuerit, ut nihil obscuri iam supersit nisi quod voci *suo* insequatur.

In hoc autem quum maxime credibile sit heri nomen ipsum scriptum fuisse, B. fidem eo confidentius secutus sum, quo apertius *menae* formam nominis desiderati ipsam exhibet. In amicis Varronis commemoratur de R. R. II, 1, 1 *Menas* (vel *Mennas*), uti ex libris pro *Menates* reponendum est, quae forma falso ficta est ex ablativo non falso *Menate* c. 8. Atque *Menam*, libertum illum Pompeii, item de catasta emptum, de quo v. Weichert Poet. Lat. p. 443 sq., appellant Plinius XXXV. extr. et Velleius Pat. II, 71. De librorum scriptura Oudendorpius: „*Hero suo* dedi e Mss. non *suo hero*. Dein Vett. libri *morem emtus*, *Metre emptus*, *Nametra epturus*, *empturus Mametra:* unde Statius fecit *N. M. C. emptus* i. e. *numorum milibus centum*. C. 3. *ducentis milibus numûm Q. Catulo emtus*. Is. Voss. *emtus a Mamurra.*“ Quo modo cunque de huius loci lectione iudicaveris, unum certum est, scripturam codicis eius, ex quo exemplum Henochi transcriptum est, perobscuram fuisse: unde tot verborum striligines genitae sunt.

literarum] Omittit P.

tradant] Ven. *tradunt.*

Sullanis] P. et Par. *Syllanis.*

CAPUT XIV.

Nicia] Ex P. Trossius *Nitia*, et sic infra. Item Voss. et P. in Indice gramm.

haesit] Haud novi aliud exemplum, quo *haerere* alicui idem sit ac ex partibus alicuius stare. Nam quae in Lexicis excitantur similia tantum sunt suamque quidque potestatem ex cuiusque loci conditione singulari accipiunt. Quare dubium mihi quidem, praesertim facilem vitii originem respicienti, nullum est, quin Suetonius *adhaesit* scripserit.

Cn.] P. *Gn.* B. ut BCrusius *Cneo*, quae nominis forma nihili est. V. ad Pompon. de orig. iur. p. 32. Par. CN. Harl. *Cn.*

C.] Par. et Harl. *Marco.*

cum] Ita Harl. et PR. Tross. *quum* edidit. Ven. *quom.*

Memmia] Sola reverentia adversus P. ductus, huius scripturam

ut in re mihi quidem plane incomperta expressi, haud ignarus, locum recepta lectione fortasse reddi etiam obscuriorem, quandoquidem iam cuius dicantur codicilli prorsus ignoramus. Vulgo *Memmii*, et sic Harl. Par. et B. cum Ven., sententia quidem perspicua, non re, de qua nullum novi interpretum qui exposuerit, vel verbo monuerit. *Memmii* autem si teneamus, intelligitur C. Memmius is, qui Pompeio in bello Sertoriano quaestor fuit, quique huius sororem habuit uxorem. V. Cic. pro Balbo 2, 4. Plutarch. V. Pompeii p. 429 (726 Reisk.) Oros. V, 23. Codicillos autem cave accipias tales quales heredibus scribi soliti sunt, quorum usum primus Augustus constituit: immo qui ad praesentes mitterentur, de quibus Seneca Epist. 55. fin. *Video te, mi Lucili, cummaxime, audio: adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas, sed codicillos tibi scribere.*

Pompei] Ita Par. et Harl., ut etiam cap. 15 init. P. *Pompeii.*

pertulisset] B. *retulisset.*

proditus] PR. primo *probitus,* sed correctum *proditus,* si recte Ritschelium percipio.

ea] Harl. et Par. *eo.*

interdictum est] Ven. *est interd.*

2. M] BCrusius *Marci.* P. et B. *magister,* lepido errore.

ad Dolabellam] Ad fam. IX, 10. Harl. cum Ven. *Dolobellam.*

Nihil] In vulgatis ad hunc diem praemittuntur haec Ciceronis verba: *Omnino mihi litterae magis sunt expetendae a te, quam a me tibi;* quae ignorant P. Par. Harl. et B. cum Ven. Scilicet ex Cicerone adscita illa sunt, minime a Tranquillo scripta: cuius rei testis est particula *enim,* in vulgatis ut apud Ciceronem posita, a Suetonio vero merito omissa, ut rursus testantur iidem codices qui ignorant unanimiter. Pro *nihil* Par. et Harl. cum Ven. *nil.*

putem scire curare] B. *praesentem scire cures.* Par. et Harl. *praesente scire curare.*

me] Omittit Par. cum Harl.

Vidium] Par. et Harl. *Nudicum*: B. cum Mediol. *Nidium,* omnes vitiose. Sed vereor ut *Vidium* rectius scribatur. Non genuina enim haec nominis Romani forma. Immo et Suetonio

et Tullio reddendum *Vedium*, quemadmodum hoc nomen recte scribitur Ep. ad Att. VI, 1. Neque aliter Tacitus et tituli ap. Gruterum et Muratorium, quibus adde *L. Vedium* ex inscriptione in Münchner Gel. Anz. 1847. No. 219. p. 728. T. VIDIVS T. F. memoratur quidem ap. Grut. p. 1110, 8; at eiusdem nominis homo ibid. p. 1115, 1 appellatur *Vedius*. Tum ibid. p. 1001, 4 *Vidiam* habes, sed emendatius exemplum eiusdem tituli p. 972, 4 eius loco substituit *Didiam*.

expensum] B. *expersum*. Subiicitur vulgo et hic et in Tullii exemplis *Niciae*, quod cum P. Par. Harl. B. et Ven. delevi.

ὀβελίζει] P. et B. *obelizi*. Par. et Harl. *obelisci*. Ven. *obelizi*.

tamquam] Harl. *tanquam*.

criticus] P. *criticus*.

antiquus] P. Harl. et Par. cum Ven. *antiquos*.

sum] Abest a Par. et Harl.

sint] Par. et Harl. *sit*.

τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι] Omittunt PR. nullo lacunae signo, B. (in hoc relictum principio *to* pro τοῦ) Harl. et Par. cum lacuna; sine lacuna Ven.

3. ad Atticum] XII, 26.

quod] Par. *quid*.

si] Omittit B.

haberem] B. Harl. et Par. cum Ven. *habuero*.

possem] B. *possim* propter *habuero*.

inprimis] Ita PR. Tross. *in primis*.

mecum illum] Item libri mei. Vulgo *illum mecum*.

solitudo] P. *solicitudo*. Par. et Ven. *sollicitudo*. Vulgatam *solitudo* Harl.

et] PR. primo *ẽt* (etiam), deinde *et*.

provincia est] Schützius in Cicerone suo coniecerat *pro victu est*, quem merito refutavit BCrusius. Harl. *provintia*. Quae in vulgatis continuo sequuntur verba *quod quia facile ferebat Sica, eo magis illum desidero*, omisi cum Harl. P. et B. quippe ex Tullii exemplaribus adscita et suppleta, quae Suetonius ut ad rem praesentem non pertinentia omisit, ut superiore quodam loco. Inseruit Par.

nosti] Addit Par. *inter*, quod quid sit nescio.

imbecillitatem] Ven. *imbecillitate*.

mollitiam] Vulgo *mollitiem*, ut Par. et B. In Cicerone illud vulgatur. PR. et Ven. *molliciam*. Harl. *molliciem*.

victus] Par. et Harl. cum Ven. *cuitus*.

possem] Ita etiam Par. Harl. (hi tamen *possim*) et B. Vulgo in Suetonio et Cicerone *velim*. Continuo in Cicerone et in vulgatis subiiciuntur verba *quum mihi ille iucundus esse non possit*, quae rursus delevi ad fidem P. Par. Harl. et B., ut non necessaria.

de Lucilio libros] Cic. Off. I, 1: *hos de philosophia libros*. De hoc loquendi genere, quod fuerunt qui in suspicionem vocarent, cf. Axt. ad Vestrit. Spurinnam p. 92.

Santra] Debetur acumini nescio cuius Ach. Statio memorati. Eandem lectionem, a subsecutis usque ad hunc diem editoribus damnanda socordia neglectam, resuscitavit Prellerus Zeitschr. f. d. Alterth. 1846. p. 42, ut iam de *Satira*, Curtii scilicet opere, quod inde confinxit Bergkius Z. f. d. A. 1845. p. 115, actum videri possit. Vulgo *satira*, ut B., vel *satyra*, ut P. et Ven. Par. et Harl. *satura*.

CAPUT XV.

Lenaeus] P. (item in Indice gramm.) et Par. *Leneus*, ut supra. Harl. *Aeneus*. Ven. L. AENEVS.

Magni Pompei] Vulgo *Pompeii Magni*. Illud rescribere ausi sumus ad fidem Voss. Harl. Par. Ven. atque etiam PR. quod neglexit Trossius, ipsiusque Suetonii, illo nominum ordine usi Aug. 4. Item Plin. H. N. VII, 20, 19. XX, 52, 14. Contrarium ordinem servant Caelius Ciceroni VIII, 13, 2. Valerius Max. I, 5, 6 et ipse Cicero Ep. ad Att. XII, 11, hic tamen sibi non constans VI, 1, 25. Illum igitur veterum usum secutus Zonaras Chron. X, 9 Μάγνος Πομπήϊος dixit, qui hac de caussa lingua Latina parum eruditus censetur a Webero De latine scriptis, quae Graeci transtulerunt, Part. IV. p. 7. *Magnus* autem prorsus cognominis loco habitum esse, ostendunt loci apud Ciceronem, Ep. ad Att. II, 14, 2: *quanto odio noster*

amicus Magnus! cuius cognomen una cum Crassi Divitis cognomine consenescit. Or. pro Arch. 12, 24: *noster hic Magnus, qui cum fortuna virtutem adaequavit.* Cf. Fronto p. 204. Rom. Adde quod eadem loquendi ratione noster supra c. 10 dixit: *Capito Ateius.*

Pompei] Ita Harl. et Par. P. *Pompeii.* Ven. *Pomp.* per compendium, ut statim *lib.*

paene] Harl. PR. et Par. cum Ven. *pene*, ut supra. V. ad Cic. de rep. II, 20. p. 193.

expeditionum] Par. *expedictionum.*

comes] B. *et comes.*

filiisque] B. *aliisque.*

schola] PR. *scola.*

Telluris] Vulgo additur *aedem*, ut B. Delevi cum Voss. P. Harl. et Par., probantibus in notis Heinsio, Oudend. et Wolfio. Pompeii domus in Carinis commemoratur in Or. de harusp. respons. 23, 49. Plura ap. Oudend.

exstitit] P. *extitit.*

Sallustium] Par. et Ven. *Salustium.*

probi] Pith. B. Harl. et Par. cum Ven. et vulg. *improbi.* Wolfius: „Gronov. legi vult *probi.*. Placet. ERN. Et ita legi testantur in codd. nonnullis. Optime. Sic os modestum, verecundum, viro tribuerat Sallustius cum plerisque, animum inverecundum. Conf. Senec. Epist. 11.“ Ex uno cod. affert Statius, nunc suppeditatum a P. V. Oudend. et Schotti Obs. hum. I, 18.

inverecundo] B. *verecundo*, recte, quum *improbi* scripsisset.

scripsisset] B. et Pith. *subscripsisset*, probante Schotto.

satura] Ita Har. et Harl. Vulgo *satira*, ut B. P. *satyra.* V. supra.

lastaurum] Par. *laustrarum.* Harl. *laustaurum.*

popinonemque] Ven. *Pompinonemque*, et mox *monstruosum.*

Catonisque] Par. *Calonisque.* Huius cod. in margine rubro colore adscriptum;

Quintilianus li. V°.
Et verba antiqui mult
furate Catonis
Crispe iugurtinae condi
historiae

Extremae syllabae in folii circumcisione perierunt, vel absque Quintiliano, apud quem epigramma exstat VIII, 3, 29, supplendae.

ineruditissimum] Pith. *intentissimum.*

Athenis] P. et Par. *catenis* (Ven. *cathenis*), ut olim vulgabatur; qua de lectione Wolfius: „*Catenis* mendosum esse, Criticis facile credimus. Quis ita Latine appellet *ostiarium qui se ipse catena solverit?* Itaque Gronov. exsculpsit *Catinae* opp. Siciliae, longe acutius vero Heins. *Athenis;* quod et Graevio plane verum videbatur. In quo notandum, librarios barbaris saeculis scribere solitos *cathenam* pro *catena* [ut Par. de clar. rhet. 3]. Ergo hominem *Athenis* puerum subreptum puta a plagiario, ac Pompeio in Asia tum agenti venditum, deinde fugitivum in patriam revertisse. Item sensit etiam Oudend." Receptam lectionem firmat B. Cogitarat Casaubonus de *quadriennis*, vel tali aliquo.

surreptus] PR. *surreptus.* B. Harl. et Par. cum Ven. *subreptus.*

perceptisque] B. Par. et Voss. *praeceptisque*, Oudendorpio probatum, Wolfio, quem vide, recte improbatum. Infra c. 21: *altiora studia percepit.*

pretium] PR. et Harl. *precium.*

pretium suum] Restitui [*pretium suum domino*] e Mss. Statii, Voss. et Ed. Vulgo *pretium domino suo.* OVDEND. Omittit B. *suum;* P. et Par. *domino*, hoc recte, quandoquidem id addititium esse Statius censuit monuitque in Mss. suis, quantum quidem ex ipsius verbis cognoscitur, legi *pretium suum retulisse.* Harl. et Ven. *pr. suum domino retulisse.*

atque] P. $\genfrac{}{}{0pt}{}{atque}{et}$. Par. et Harl. *atque.* Vulgo *et*, ut B. Ven. *atquē.*

CAPUT XVI.

Quintus] Vulgo *Q.* ut Ven. Abest a Par. Oudendorpius: „Abest *Q.* a Coll. *Voss.* sicut C. 7. 18. 22 et saepe praenomine caret ille codex: uti multis Msstis desunt primae vel libri vel capitis vel versus litterae, de industria omissae, ut alio colore exarentur: at sic per incuriam neglectae, et elapsae." Huius conditionis est Harl. in quo praenomini omisso spatium suum relictum.

Caecilius] Ita B. et PR. cum vulgata, licet Tres. cum Caelius, Par. cum Ven. *Cecilius*.

Epirota] Ven. *epyrota*.

Attici] Satis vetusta labes hunc locum corripuit. P. *Satti*. Harl. et Par. cum Ven. *Sati*. Unus B. recte *Attici*. Quippe quod olim vulgabatur *Attici Satrii*, iam patet ex dittographia nominis *Attici*, non recte perspecti, promanasse. *Satrii*, cuius loco Ernestius *Patris* volebat, primus delevit Oudendorpius, ut *Attici* solum relinqueretur, quod abhinc ediderunt et Wolfius et BCrusius. Recte. De Attico enim Tulliano agi, commonstrant non solum quae Suetonius de epistolis Ciceronis commemoravit, sed etiam quae insuper adiiciuntur, magna cum probabilitate, id quod iam Vinetus, quem vide, bene perspexerat. Ac primum cum re ipsa congruit *Caecilii* nomen, quippe quod libertus acceperit a patrono, quem, postquam testamento avunculi Q. Caecilii adoptatus fuit, constat Caecilii nomen adsumpsisse. V. Orellii Onomast. p. 482. Quod quum a. u. c. 696 factum sit, id simul indicio temporis est, quo demum elapso Attici servulus manumissus fuerit. Tum Tusculi natus unde Epirotae cognomen acceperit quaerenti succurrit quod Atticus Epirum non solum multoties adiit, sed ibi etiam emptione fundum habuit, quo certe sensu arbitror Ciceronem ad Att. I, 5, 7 de *emptione* eius *Epirotica* locutum esse: unde credibile est, parentes Epirotas in Italiam atque Tusculum quidem transire ab hero Attico iussos esse. Hinc vernae cognomen Epirotae, quo pater eius appellatus fuit.

Romani] Par. et Harl. *Ro*.

epistolae] PR. *epistole*.

cum] B. *quum*. Ven. *quom*.

filiam] Ven. *filia*.

Marco] Vulgo *M*. et sic Par. Harl. et Ven. Illud BCrusius.

doceret] Par. et Harl. *diceret*.

ea] Statius fortasse legendum ait *eo*.

Corn.] Par. Harl. et B. *Cornelium*, ut vulgo.

2. Post deinde] Mediol. *post inde*.

sed] Quod subsequitur vulgo *ita*, etiam a P. exhibitum, delevi cum B. Harl. et Par., ex interpolatione ortum. Prorsus

eadem loquendi ratio, qua *ita* intelligitur, non scribitur, c. seq. *transit in Palatium cum tota schola, verum ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet.*

Latine] Omittit Par.

Vergilium] Codd. mei cum P. et vulg. *Virg.* In margine Par. *Primus qui legeret poetas.*

praelegere] Lego *praelegere,* non *perlegere,* ut in manuscriptis erat. STATIUS.

Domiti] Ita Harl. P. cum ceteris *Domitii.* Ven. *Domicii.*

versiculus] P. *versiculis* et mox *et Epirota,* ubi Ven. *et Epirota.*

nutricula] Par. et Harl. *miracula.*

vatum] Ven. *natum.*

CAPUT XVII.

1. M. Verrius] Praenomen ex sola Ven. *MVERIVS* exhibente adscivi, quoniam ex Indice grammaticorum, quem ignorat, peti non potuit.

inclaruit] Voss. Par. B. et Harl. *claruit,* quod paene praetulissem. V. Oudend. ad h. l. et Schwarz. ad Plin. Paneg. 82, 7. Adde Hieronym. Praef. ad libr. de viris illustr. T. II. p. 825. Vall. *sriptis suis claruerint.* At c. seq. *inclaruit,* sine suspicione vitii. PR. *in claruit.*

Namque] Par. et Harl. cum Ven. *Nanque,* ut supra.

exercitanda] Ernestius coniiciebat *excitanda,* sine caussa idonea. Par. et Harl. *exercitandum;* hic mox *ingenium.*

discentium] PR. *docentium:* continuo in eodem cod. superadditur *qua,* sed compunctum.

aequales] PR. *equales.*

Id] Par. Harl. et Voss. *is.*

liber] B. *liberalis,* origine vitii patente. Pro *liber aliquis* Harl. Voss. et Par. cum Ven. *liberalis.*

aut] Par. Voss. et Ven. *ac,* et continuo *carior.* Item Harl., sed *at.*

2. Augusto] PR. compendiose *Aug.*

eius] Deletum voluit Ernestius. Alii, ut Casaubonus, *suis* correxerunt, alii intellexerunt, quibuscum facere videtur Wolfius, quem vide.

2. transiit] P. et Par. *transit:* sed iidem mox c. 18. *transiit.* c. 20: *audiit.*

ne quem] Ita B. quoque. Harl. P. Voss. et Par. cum Ven. *neque.* Illud iam suaserat Statius.

Catulinae] Edd. quotquot novi ad unam omnes *Catilinae*, neque ex libris Mss. meis ullus aliter praeter P. *catelinae* exhibentem. Sed egregie Statius: „Uno in manuscripto *Catulinae*, ut Catuli domus fuerit. fuit enim domus Q. Catuli regione X in qua Palatium. alia eiusdem regione V." In Plin. H. N. XXXIV, 8, 19 recte nunc repositum duce Manutio: *Minerva Romae dicitur Catulina ... a Q. Lutatio dicata*, ubi antea *Catuliana*, quae vocis forma Lexicis eripienda est.

Palatii tunc] Par. et Harl. *tunc Palatii.* Ven. *pallacii tunc.*

centena sestertia] Vulgo cum Harl. B. Par. et Ven. *sestertia centena.*

3. Praeneste etc.] Silentio iam premenda videntur quorundam tentamina huius loci, a Statio commemorata, ex quo, Wolfio, quem vide, bene advertente, Fastorum Praenestinorum ab hoc ipso Verrio ordinatorum fragmina a Fogginio publicata sunt. Atque Statius, quo fuit admirabili ingenii acumine, quasi praesagiens adnotaverat, fieri potuisse, ut etiam Praeneste, quemadmodum Romae, Verrii fasti fuerint marmoreo parieti incisi.

superiore] Ita Harl. B. Par. Voss. cum Ven. et tribus codd. Vatic. ex Fogginio a Wolfio citatis. Tot codicum consensui posthabenda erat auctoritas P. cum vulgata, quam retinuerunt Wolfius et BCrusius, exhibentis *inferiore.*

circa] Ita Harl. PR. Par. Voss. cum tribus Vatic. et Ven. Trossius, nil monito lectore, *contra*, ut vulgo, quod, fateor, aegre dimisi. Aug. 44: *Vestalibus locum in theatro separatim* [*separatum?*] *et contra praetoris tribunal dedit*, et alibi. Plin. H. N. XXXIV, 6, 13 de loco statuae: *quae fuerit contra Iovis Statoris aedem.* Rariorem tamen significationem, qua *circa* hic

positum esset, ut regionem loci latiore sensu, non ipsum quidem locum indicet, quo aliquid collocatum est, adstruit auctor ipse Aug. 14: *Circa Perusinum murum sacrificans paene interceptus est.*

hemicyclium] Vulgo olim *hemicyclum*, ut Ven. quod nihili est. P. *hemiciclum*. Harl. et Par. *hemyclium* (Wolfio teste *hemicyclium*). Quod nunc vulgatur, de coniectura Gronovii et Burmanni, firmavit ex Voss. Oudendorpius, firmavitque adprobante BCrusio Wolfius ex tribus libris Vaticanis Fogginio ad Fastos Praenest. laudatis. Neque aliter B. De hemicyclio v. Goerenz. ad Cic. legg. I, 3. p. 13. Buchner ad Plin. Ep. X, 75. Praenestinum hemicyclium in locis fori publicis erat, quale illud in Samo insula, de quo Iamblichus V. Pyth. 5. p. 60. Kiessl. καὶ πρῶτον μὲν διατριβὴν ἐν τῇ πόλει κατεσκευάσατο, Πυθαγόρου καλούμενον ἔτι καὶ νῦν ἡμικύκλιον, ἐν ᾧ νῦν Σάμιοι περὶ τῶν κοινῶν βουλεύονται, νομίζοντες περὶ τῶν καλῶν καὶ τῶν δικαίων καὶ τῶν καλῶν καὶ τῶν δικαίων καὶ τῶν συμφερόντων ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ποιεῖσθαι τὴν ζήτησιν, ἐν ᾧ κατεσκεύασεν ὁ πάντων τούτων ποιησάμενος τὴν ἐπιμέλειαν.

marmoreo parieti] Harl. et Par. *marmori parieti*. Voss. cum Vatic. et Petav. *marmori perite*, quod cum Fogginio probat Wolfius.

publicarat] Harl. et Par. *publicaret*.

CAPUT XVIII.

1. Lucius] Vulgo cum B. et Ven. *L.* Abest praenomen ab Harl. et Par., fortasse etiam a Laurentiano codice, de quo v. Praef.

Pasicles] Ita Mss. et viri docti. Vulgo *Pasides* [ut *P.*]. Coniecit etiam *Posides* Salmasius. Eum sub nomine Pansae citavit Consentius in Arte p. 2066. OUDEND. Repositum nomen firmant B. Harl. et Par., tum etiam Laurentianus et Ven.

transnominavit] B. *transvolavit*. Laurentianus cod. modo laudatus *cognominavit*.

2. mimographos] Ven. *mimographus*.

pergula] P. et B. *parcula*. Harl. et Par. *percula*, ut Vet.

impr. et in his Ven. V. inscr. ap. Romanellium Viaggio a Pompei T. I. p. 88, ubi *locantur tabernae cum* PERGVLIS.

Smyrnae] Par. et Harl. *Zmyrnae*, at ille mox *Zmirna*. P. *Smirnae* et mox *Smirna*. Grosius: „Intelligit Pitisc. de Cinnae poemate de quo Catullus XCIII, 1:

Smyrna mei Cinnae, nonam post denique messem
quam coepta est, nonamque edita post hiemem.

Hase contra, de urbe Smyrna, rebusque Smyrnaeorum."

haec] PR. *hec*.

credere] Gronov. coni. *cedere*.

hanc] B. *hoc*.

nota] Par. et Harl. *vota*, ut Vet. impr. et in his Ven.

exstiterint] P. *extiterint*. Harl. *extiterunt*.

3. cum] Ven. *quom*.

et doceret] Vulgo cum Harl. B. Par. et Ven. *edoceret*. Mihi quidem Suetonius scripsisse videtur *cum edoceret*, omissa copula: cuius lectionis fidem facit ipsa scripturae varietas codicum.

nobiles, et in] PR. *nobiles*[et] *in*. Harl. omittit *et*.

his] Ita Harl. Ven. *is*. Ceteri mei cum P. *iis*. V. ad c. 7.

Iulum] Ita cum Wolfio, quem vide ad Claud. 2, dedi, vel invitis omnibus, quos novi, libris, vulgatam *Iulium*, a BCrusio repetitam, praebentibus.

Antonium] Ven. *Antonius*.

compararetur] Par. et Harl. *compararet*. PR. *comperaretur*.

ad] Par. et Harl. *in*. Omittit B.

Q.] Vulgo *Quinti*. Abest praenomen a B. et Par.

Sexti] Vulgo *Septimii*, de quo Wolfius: „Huius nullam sectam in philosophia quisquam memoravit. In duobus codd. [Voss. (Pithoei nominat Casaubonus) et Petav.] et haud dubie pluribus, qui nondum collati sunt, scriptum *Q. Sextii* (Paris. habet *in Sexti*) revocari iusserunt plures, in his Bruckerus et Oudendorp. [nisus hic Nic. Fabro ad Senec. Controv. 11 et Andrea Scotto in libello de claris apud Senecam Rhetoribus] quos sequor." De Sextiis patre et filio philosophis, sectaeque conditoribus (v. Senec. Quaest. nat. VII, 32) plura deinceps Wolfius, etiam prolixiora Otho Iahnius in Verh. der K. Sächs. Gesell.

hist. phil. Kl. T. II. p. 277 sq. P. B. Harl. et Ven. *Sextii.* Edd. vett. *Septimi.* Retinere Grosius vult *Septimii,* collato Horat. Od. II, 6, 1 et Epist. I, 9, 1.

philosophi] Abest a B.

CAPUT XIX.

1. Scribonia] Harl. *Scrobonia.*

Libonis] Harl. Par. et P. *uxoris.*

Verrius] Ven. *Verius.*

libris] Bene sic edidere J. Gronovius et Pitiscus ex Casauboni et Salm. emendatione, cui accedit Voss. Coll. *libro* Burm. *libros* vulgo contra auctoris mentem. OVDEND. Sic [*libris*] et Paris. pro vulg. *libro,* quod ortum erat ex vitioso *libros.* WOLFIVS. Hoc exhibet B. Trossius ex P. *libro,* sed PR. *libris,* ut et Harl. et Ven.

CAPUT XX.

Gaius] P. et Par. cum Ven. *Caius.* B. ut vulgo *C.*

Hyginus] P. *Higinus* (*Fri-*), ut in Indice gramm. FRIGINVS. Par. et Harl. *Phriginus.*

Hispanus] PR. *Ispanus,* quae recentioris aetatis scriptura est. V. inscriptiones ap. Graeffium Antiquarium in Manheim I. p. 23. Jahrb. d. Ver. v. Alterthumsfr. im Rheinl. fasc. 13. p. 82. Tum *Spania,* inscr. in Maii Coll. Vat. T. V. p. 343; *Spania,* Bonifacius in Maii Auct. class. T. VII. p. 487; *Spaniensis,* Virgilius Maro Gramm. p. 12.

nonnulli] Praemittitur vulgo *etsi,* quod inducendum fuit ad fidem Harl. P. Par. B. Ven. et ed. Flor., suadentibus idem Ernestio et Wolfio.

Alexandrinum] Harl. *exalexandrinum.*

puerum] Omittunt Harl. Par. et B.

Romam] Harl. et Par. *Roma.*

adductum] Iam adstruxerat ex vet. Ed. Cortius ad Sall. Iug. 86, Wolfio probatum. Firmant Harl. Ven. et Par. Vulgatum ad BCrusium usque *advectum,* ut B. qua de lectione v. Oudend.

et audiit] Harl. et Par. cum Ven. *et audivit.* B. *avide.* Ernestius: „*studiose et audiit et imitatus est*] Sic ex ed. Flor. dedi pro *studiose et avide imitatus est.* Sic et in Mss. reperit Oudendorp."

Corn.] Vulgo *Cornelium*, ut Harl. B. et Par. cum Ven.

Historiam] Offensus hoc agnomine honorario videtur Gorius in Columb. Lib. Liviae p. 122 coniiciens *Histora.* Sed sic e contrario supra *Oblivio* c. 9. Adde Burm. et Cuper Obs. L. III. c. 13. ac passim apud Fabrettum in Inscript. OVDEND.

2. bibliothecae] PR. *byblioțecae.*

eo] Omittunt Par. Voss. et Harl.

Clodio] Vulgo *C.* BCrusius *Cajo.* Wolfius: „Nemo historicus consularis adhuc inventus est hoc nomine; quare id incertum putandum est." Oudendorpius: „Cajo Licinio] Tali nomine consularis Historicus memoratur nemo. Nec enim C. Licinius Macer sic designari potest. Coll. Voss. *Clodio Licinio.* Et certe *Clodius Licinius*, vel *Licinus* fuit celebris historicus, sed antiquior, nec consularis, ut opinor. Adi Voss. de Hist. Lat. I, 8, et Comm. ad Liv. XXIX, 28. *C. Asinio* legit Vossius ibidem I, 10 et 20."

tradit] Harl. et Par. *tradidit.*

vixerit] Ante Ernestium vulgabatur *vixit*, ut est in Ven. quoque. Illud et Par. et B. cum ed. Flor.

3. in studiis atque doctrina] Legendum fort. *in studiisque doctrinae.* STATIVS.

secutus] Harl. et Par. *sequutus.*

CAPUT XXI.

1. Gaius] P. et Par. *Caius.* V. ad c. 20. init. Vulgo *C.* ut B. In Indice gramm. fertur *M.*

Spoleti natus] B. *Spoletinus.*

ingenuus] Par. et Harl. *ingenitus.*

cura] B. et Pith. *curiae.*

et industria] Pith. *et ob industriam.*

Maecenati] Par. et Harl. *Micenati.*

cum] Ita PR. et Harl. B. *quum*. Par. *cum cum*. Ven. *quom*.

et] Par. et Harl. *ac*.

conditionem] PR. *condicionem*.

Augusto etiam insinuatus est quod] Absunt a Pith. Olim vulgabatur *Augusto, et insinuatus est*.

etiam] Vulgabatur *et* ante Oudendorpium, qui illud cum Voss. et Statio reposuit. Item Wolfius ex Par., quicum faciunt Harl. et B. P. *et*.

quo delegante curam etc.] Ed. Flor. *quod eleganter curam ordinandarum bibliothecarum — suscepit*.ERN. Non nimis inficete, at vitiose tamen. Conf. Caes. 56: [*cui ordinandas bibliothecas delegaverat*] WOLFIVS. Florentinae lectionem exhibet B., item Par. Voss. Harl. et P., nisi quod hi *elegantem*. Ven. *insinuatus estque elegantem curam*. Locum olim restituit Statius.

bibliothecarum] PR. *bybliothecarum*.

3. sexagesimum] Par. Harl. et Ven. *LX*.

inscribuntur] Par. *scribuntur*, ut et Voss. et Edd. ante Vinetum, teste Oudendorpio. V. ad c. 6.

componere] Hoc verbum non citat Schottus ad Victorem p. 209 bene. Qui et mox legit: *et mimos diversi operis postea addidit*, e Ms. [Pith.] in quo erat *animos diversi operis* etc. ERN. Et Heinsio probatur haec correctio in annotat. ad Ovidii ex P. 4, 16, 30, eamque et ipse veram puto. In Paris. quoque est *animos*. Ceterum *componere* minime movendum. Cf. vit. Persii extr. WOLFIVS. Pro *diversi operis*, quod etiam B. et Par. tenent, vulgabatur *diversos*, quod Wolfius retinuit, ECrusius autem praeeunte Oudendorpio cum illo commutavit. Retinui vulgatam *alios*, a P. exhibitam, cum B. Harl. et Ven.; haec tamen *et* praecedens omittit.

instituit] Graevius coni. *institit*.

centum et quinquaginta] PR. *C et L*, ut Par. et Harl. Ven. *C. et quinquaginta*.

4. Fecit et] Par. Harl. et Voss. *et fecit*.

Togatarum] Par. et Harl. *togatorum*.

CAPUT XXII.

1. Marcus] Vulgo *M.* ut B. et Ven. A Par. et Harl. praenomen abest.

molestissimus] Par. et Harl. *modestissimus*, ut, teste Oudendorpio, ante R. Steph. vulgabatur. Repositum, quod etiam Ven. praestat, egregie explicuit Lehrs. Quaest. ep. p. 10, commendaveratque iam Statius.

quoad] Harl. Par. Voss. et B. *quod.*

sibi, sed] Par. et Harl. cum Ven. *sed sibi*, ut olim quidam vulgarunt, invito Statio.

cum] B. *quum.* Ven. *quom.*

2. Tiberium] Par. et Harl. cum Ven. *Tyberium.*

Atteio] PR. Harl. et Par. *Ateio.* Ven. *Atheio.* V. ad c. 10.

et esse] Copulam omittit. Harl.

enim] Par. *.n.*, de qua nota v ad c. 8.

civitatem] Harl. B. et Par. cum Ven. *auctoritatem*, ex interpolatione.

verbo] P. *verba*, ut Ven. Illud ex Voss. ab Oudend. affertur, quum in Edd. Vett. fuerit *verba:* vulgo ex emendatione Faerni *verbis*. Repositum ceteri Mss.

3. Asinius] Par. et Harl. *Assinius.*

caput] Statius malebat *capere.*

laevam] PR. et Par. cum Ven. *levam.* Praeceptum intelligit Grosius gladiatorium.

didicit] Alii, ut Guietus, *deicit*, ut iam voluerat Menardus ad Cic. pro Rosc. Am. 37 (ed. Graevii p. 25). V. Wolf. et BCrusium.

nobis] Ante Statium *vobis.* Ex Mss. correxit Oudendorpius.

CAPUT XXIII.

1. Quintus] Nota *Q.* aberat vulgo ante Wolfium, qui ex Voss. Par. et ed. Flor. reposuit. Cum P. Harl. et Par. *Quintus.* B. *Q.* Caeterum Rhemmii praenomen, hoc loco excepto, alibi non adnotatum reperio nisi in fronte Artis ipsi adscriptae apud Putschium p. 1356.

Remmius] Hanc nominis formam, ab Ach. Statio iam olim

ex veteri monumento, quo M. REMMIVS exstat, commendatam, cum Elink Sterkio (Symbol. litt. doctor. gymnas. Batavorum VIII. p. 14) fuse ea de re disputante, adoptavi, insuper inscriptione ap. Grut. p. 128, 5 nisus, qua *Rammii* cuiusdam, vel *Remmii,* ut Ligorius, nomen sine adspiratione scriptum fertur. Nam titulo Ligoriano ap. Gud. p. 222, 5, ubi RHEM. PALAEMON, nullam fidem habeo, quippe deformato ex Manutiano alio in Orthogr. p. 779 et Grut. p. 653, 1, uti recte admonuit ad hunc Suetonii locum Oudendorpius, qui pariter *Remmius* hic scripsit, servatum a B. Tross. *Rheminius;* at PR. *Reminius* (h). Omittunt Par. et Harl., relicto spatio vacuo. Ed. Flor. *Remnius,* quod nomen exstat ap. Grut. p. 704, 2. Ven. *Rhemmius.* Adde quod in cod. Divionensi, quo Excerpta ex Suetonii Prato continentur, Palaemonis nostri nomen exhibetur *Remius,* teste Dorvillio.

Palaemon] P. Harl. et Par. *Palemon,* ut infra P. quoque.

Vicentinus] Par. *Vincentinus,* ut Ven. et mox *urna,* pro *verna.*

mulieris] Pith. *militaris,* probante Schotto.

textrinum] Coniicias *textrinam* [id quod Statius suadebat]: at cf. Aug. c. 4. med. WOLFIVS. V. Oudend. PR. *textrinū,* unde prodit *textrinus,* fortasse verum.

filium dum comitatur] PR. *filium* (dum) *comitatus,* sed posterius mutatum in *comitatur.*

scholam] Vulgo *scholas.*

infamis] Par. et Harl. *insanus.*

vitiis] Harl. et Ven. *viciis.*

Tiberio] Par. et Harl. cum Ven. *Tyberio.*

2. cum] B. et Par. *quum.* Ven. *tum.*

Nec] Harl. *ac.*

Nec non] P. *Nec ni.*

etiam] Ven. *et.*

3. vero] Vulgo *et* et *ex,* cuius loco Statius volebat *es.* *Vero* etiam Harl. Par. Voss. et Ed. vet. cum Ven.

M.] Par. *Marcum.* Ven. *N.*

sed] Ven. *set.*

praesagante] Ita P. et Voss. cum Ven., quod non ausus sum oblitterare, quamquam vulgaris verbi forma sine ulla suspicione vitii legitur Aug. 96. Ceteri Mss. *praesagiente*. Formam susceptam, cuius Forcellinius participium solum ex Hieronymo attulit, firmat Iuvencus in Pitrae Spicil. Solesmensi T. I. p. 235: *praesagant*.

Vergilio] P. cum ceteris Mss. et Edd. *Virgilio*.

omnium] Omittit Par.

4. pepercisse] Vulgo omnesque libri Mss. praeter P. *parsisse*. Illam formam unice Suetonius, altera solum in participio usus, Tib. 62. Ven. *parcisse*. Cf. Diomed. I. p. 365.

5. lavaret] Sic cum Oudendorpio, Wolfio et BCrusio dedimus, quum antea vulgaretur *lavaretur*, quod Trossius servavit. At PR. Harl. Par. et B. *lavaret*, id quod etiam ex Mss. Casauboni et Voss. attulit Oudendorpius. Neque aliter Ven. Utraque dicendi forma Suetonius promiscue usus est.

quamquam] Harl. *quanquam*.

schola] PR. *scola* (h suprascr.).

in die] An *in dies*, καθ' ἡμέραν. BCRVSIVS. Vit. Terent. 2: *Eunuchus quidem bis die acta est*.

quadringena] Vulgo *quadragena*, ut Par. B. *quadraginta*. Harl. *quadrigena*.

caperet] Par. et Harl. cum Ven. *carperet*.

cum] B. *quum*. Ven. *quom*.

promercalium vestium] Harl. *et inde callium*. Par. *et inter callium*, uterque omisso *vestium*. B. *inde carnium vestium*.

vitem etc.] De iugeribus vineae singulis accipiendum voluit Ernestius, de quo Wolfius: „Haec nemini placebunt, opinor: apertum est de una vite dici. Quamobrem unice probabilis est coniectura Ursini *CCCLX uvas* ex Plin. XIV, 3. Colum. 3, 3 [3] ducta. Quod vocabulum facili primum vitio mutatum in *vas*, deinde ex leni scilicet, sed temeraria correctione vulgarem scripturam parere potuit." Recte, nec dubitavi *uvas* reponere, vel invitis P. ceterisque omnibus libris Mss., quos novi, et impressis. Atque Ursini coniecturae magnopere favent Harl. et Par. exhibentes *CCCLX*, quod etiam Oudend., quem vide de hoc loco disserentem, ex Voss. attulit

institutam] Ven. *insitam.*

satis] PR. *fatis.*

trecenta sexaginta] Tross. *trecenta sexaginta quinque.* PR. *CCCLXV.* Ven. *CCCLXV.*

sed] Ven. *set.*

6. mulieres] Harl. Par. et Voss. *mulieribus*, probante Oudendorpio, si legatur *libidine.*

oris] Ach. Statius *orationis.* V. Oudend.

dicto quoque] Ita etiam Par. Harl. et ed. vet. cum Ven., haud inepte, ut ait Wolfius. Vulgo *dictoque.*

ferunt] Par. *fuerunt.*

qui cum] Absunt a P. Pro *cum* Par. et Harl. cum Ven. *eum.* B. *quum.*

refugiens] Harl. *reffugiens.*

posset] Par. et Harl. *possit.*

abligurire] Harl. *obligurire.* Sensu obsceno, ut *ligurire*, de qua voce v. Forcell. cum Furlanetti adnotatione: cui addas Catulli in Priapo ap. Non. p. 134: *de meo ligurire libido est.*

CAPUT XXIV.

1. Marcus] Par. et B. ut vulgo *M.*

Berytius] P. *Beritius.*

donec — contulit] Omittit Par.

taedio] PR. *tedio.*

antiquorum memoria] Par. et Harl. cum Ven. *memoria antiq.*

omnino] Ita vulgo, neque aliter PR., ex quo Trossius edidit *omnia*, ceterique libri Mss. cum Ven.

abolita, sicut Romae. Hos quum diligentius repeteret] Pith. *abolita. Sic cum Romae hos diligentius repeteret:* quae varians lectio tametsi interpolationi deberi videtur, tamen genuinum *repeteret* praestitit, quod ut vel sine codice reponatur sententia flagitat. Ceteri omnes libri Mss. et impressi ad hunc diem *repetere* servant.

2. cum] Ita PR. Harl. et Par. B. *quom*, ut Ven.

deinceps] B. *deinde.*

omnes] Ita etiam B. et Par. et ed. vet. probante Ouden-

dorpio, quem BCrusius secutus est. Wolfius retinuit vulgatam *se*, suppeditatam ab Harl. et Ven.

opprobrio] P. *opprobio.* B. Par. et Harl. *obprobrio.* Ven. *obrobrio.*

mansit] Omittit Ven.

contracta] Comparata sibi undecumque interpretatur Oudendorpius.

annotare] B. Par. et Harl. cum Ven. ut vulgo *adn.*

distinguere] Quid sit illustrare studui Anecd. Rom. §. 75.

soli] B. *sed.*

3. aliquot] Par. et Ven. *aliquos.*

Numquam] Harl. *nunquam* et mox *substineret.* Hoc Ven.

4. Unum et] Vulgo *unum vel,* quod retinet P. Quod dedi ex Par. Harl. B. et Ven , iam Wolfius probaverat, licet in contextum suscipere non ausus. Non dicitur, unum quemque discipulorum seorsim admissum esse: sed de numero admissorum agitur, ita ut iam dicantur nonnumquam vel duo, numquam vero plures quam quatuor admissi esse. De locutionis ratione adi not. ad Cic. de rep. I, 12. p. 46. Rem comprobat auctor ipse Rhet. 1: *ex quibus non alienum fuerit unam et alteram-referre;* duo iam exempla referens.

cum] Ita Harl. PR. et Par. B. *quum.* Ven. *quom.*

plurimos] B. *plurimis.* Par. et Harl. *plurimi.*

postmeridianis] Alii *pom.* Illud ex Mss. suis affert Statius.

quaedam] Omittit Par.

Nimis] P. *nimis* praecedentibus adiungit, ut olim edebatur invita sententia, quam iam Statius recte ceperat.

5. antiqui] Par. et Harl. sub finem libelli: *„Suetonii Tranquilli de grammaticis liber primus explicit. Saequitur eiusdem de rhetoribus liber secundus.*

DE RHETORIBVS.

DE RHETORIBVS] Ita P. B. Harl. et Par. *Claris,* quod vulgo additur, a Mss. abesse testatur Oudendorpius. Caret Ven. omni inscriptione. Vatic. 4498 post librum de gramm. exhibet:

Liber primus finit Suetonij Tranquilli historici de Rhetoribus, Liber II, tum statim addito Indice rhetorum, *De Rhetoricis inventione et inventoribus.* De totius operis inscriptione consulenda est Praefatio.

CAPUT I.

fere] Ita B. Harl. et Par. cum Ven. Vulgo *sero*, frustra defensum a Mureto Var. lect. XVI, 10 aliisque, quos recenset Oudendorpius, qui *sero* retinuit, retentum et Wolfio et BCrusio. Non agitur de tempore, quo rhetorice Romam advecta sit, sed de conditione eius.

paululo] Vulgo cum B. et Par. *paullo.* Harl cum Ven. *paulo.*

nonnumquam] PR. et Harl. *nonnunquam.*

etiam] Ven. *esse.* B. *et.*

vetus] Quod post h. v. a R. Stephano inde, ut testatur Oudendorpius, insertum est sedemque suam ad hunc ipsum diem in editionibus occupavit *S. C.*, vel *senatus consultum*, id tametsi a Suetonio scribi potuisse concedam, tamen retinere invitis P. ceterisque omnibus quos novi codicibus non ausus sum. Scio quidem, senatus consultum suo sibi proprio nomine si appellandum fuerit, non potuisse dici *edictum:* sed quum ex ipso loco pateat non de auctore edicti, sed de edicto agi, quo aliquid vetaretur et prohiberetur, quod ut fieret praetori animadvertendum esset, eo aptius id edictum appellari potuit, quod id ipsum, quod ad praetoris animadversionem pertinere iudicatur, *edicendi* formula etiam in S. C. de Bacchanal. in caussa simili appellatur praetorique hoc nomine committitur. Cf. Liv. XXXIX, 14. Quod igitur Patres censuerunt, id senatus consulto quidem conceptum fuit: id vero ut ratum fieret, ad curam pertinebat praetoris, qui in eum qui secus ageret animadverteret. Itaque, tametsi revera senatus consultum fuit, tamen a Suetonio, rem unice respiciente, edictum appellari potuit. Fateor tamen melius Suetonium scripturum fuisse *vetus edictum, item Censorium.* Spectat a. u. c. 592. Ceterum eo, quod SC. illud de *rhetoribus Latinis* Gellio XV, 11 appellatur, quum Graeci, non Latini intelligantur, non magnopere laborandum; apparet enim *Latinis* errore ad-

scitum esse librariorum, edicti sequentis formula, quo sane de Latinis rhetoribus agitur, deceptorum. Quod Pighius coniecit *inquilinis*, et a re et a loco alienissimum.

item] Muretus, cui etiam *S. C.* inserendum videbatur, *et* scribi iubebat.

Censorium edictum] A. u. c. 661.

edictum] Ven. *aeditum.*

C.] Abest a P. Harl. Par. et Ven., qui tamen mox *M.* retinuerunt. Notemus factum singulare, quod SC. de Bacchanal. initio, quo ambo pariter consules nominantur, praenomen eius, qui primum locum obtinet, abest: quod si supplendum esse nonnulli iudicarunt, id invita tabulae forma fieri, ostendi in Iahnii Jahrb. T. LXVII. p. 169. Illa iam praenominis omissio an de more aliquo an caussa singulari facta sit, non deciderim. Interim vulgatam secutus, praenominis notam addidi, a B. suggestam.

Messalla] Ita vulgo cum B. V. ad Gr. 4. Par. et Harl. cum Ven. *sala.* P. *Messala.*

cons.] Ita PR. Harl et Par. B. ut vulgo *consulibus.*

M.] BCrusius *Marcus.* Ven. *Mar.*

M. Pomponius — censuerunt: ut] Omittit B, caussa non latente.

senatum consuluit] Omittit Harl.

et rhetoribus] Vulgo insertum *de.* Etiam Gellii codices ignorare videntur. Par. *ex* pro *et de*,

de ea re etc.] Placebat Casaubono *S. con.* sive senatus consultus *censuit.* Pighio *P. con* sive *patres consulti.* Sed vide Gronov. ad Gellium, e quo R. Steph. Cass. Vinetus, Muretus, Cas. etc. *uti ei e rep.* rescripserunt. In aliis *ut si ei.* Sed tunc res permissa fuisset arbitrio praetoris, falso. OVDEND. Nihil sanius vulgato contextu. SC. ap. Gell. IV, 6: *Quod C. Iulius pontifex nuntiavit . . . de ea re ita censuerunt.*

si] Vulgo *uti*, ut Harl. Genuinam scripturam nunc revocatam ex parte servarunt P. B. et Par. cum Ven. exhibentes *ut si.* Error inde natus quod *curaretque* postulare videbatur insequentem continuo coniunctivam particulam *ut:* qua semel inserta, *si* superfluum videri debuit et eiectum est. Posita autem particula illa posthac, praemissa enuntiatione conditionali, prorsus

ut SC. de Bacch. *censuere — sei ques esent, quei sibei deicerent — eeis utei — ad pr. urbanum Romam venirent* Aliud SC. ap. Coelium ad Cic. VIII, 8: *si quid de ea re ad populum plebemve lato opus esset, uti Ser. Sulpicius — ad populum plebemve ferrent* Simile vitium obsidet Gellium IV, 6 in in alio SC., ubi restituendum: *censuerunt uti M. Antonius consul hostiis maioribus Iovi et Marti procuraret et ceteris diis quibus videretur placandis, et si procurasset, satis habendum censuerunt;* vulgatur enim *uti procurasset,* invita loci structura.

ex] Abest a Par. Ceteri libri Mss. et impressi *e.*

re publica] PR. *re. p.* Harl. et Par. *rei. p.* Ven. *re Pu.*

fideque] Harl. *ei rei.*

uti] B. et Par. ut vulgo *ut.*

ne] PR. *non.*

5. eisdem] B. Harl. et Par. ut vulgo *iisdem.* Illud Vet. impr.

interiecto] Par. et Harl. *interrupto.*

Cn] P. et Par. *Gn.* BCrusius *Cneus.* V. supra. Hoc edictum, quod ad a. u. c. 661 pertinet, repetit Gellius XV, 11.

Aenobarbus] Vulgo copula *et* subiicitur, in hoc loquendi genere plerumque omissa. Ignorant etiam Par. et Harl. Retinet B. Par. cum Harl. et Ven. *enobarbus.*

L.] BCrusius *Lucius.*

ita] Par. et Harl. cum uno Ms. Statii et Ven. *item.* Illud Gellius quoque in eodem contextu.

edixerunt] Ita B. unusque cod. Statii cum vulg. et Gellio. P. Harl. et Par. cum Ven. *dixerunt.*

Renuntiatum] Ita PR. Trossius *renunciatum.* Idem P. praemittit *nae,* quod in textu retinuit Trossius; Harl. et Par. cum Ven. *ne* Prorsus singularis illius particulae usus in decreti formula esset: cui nihil habeo quod comparem, ne simile quidem. Quid vero in ista scriptura lateat, vel si in vitio ponenda est, quo modo orta sit, ab aliis cupio edoceri. In mentem venerat olim scriptum fuisse *nuntiatum,* quemadmodum id verbum in S. C. ap. Gell. IV, 6 eadem formula legitur, atque *nae re* depravatum esse fortasse ex *nuper* vel alia quapiam voce. Alia ratio ab amico docto inventa, ut dimissa lectione *nae, ne* factum sit ex

compendiosa scriptura N. E., scilicet *nuntiatum et:* quod probarem, si formulae *nuntiatum et renuntiatum* aliud in eiusmodi decretis reperiretur exemplum: tum rarissimus aut nulla auctoritate confirmatus usus verbi *renuntiandi* de iterato nuntio, a Forcellinio solummodo in v. *renuntius* notatus.

ludum] Vulgo olim *ludos.* Wolfius: „*Ludum* habet Gell. l. c. et hic Paris. cum aliis codd. [Statii, Vossii], quos recte secutus est Oudend. Mutatum id ex seqq. *qui eos ludos habent.*" *Ludum* praeter P. etiam B. et Harl.

conveniant] Ita P. solus. Ceteri libri omnes Mss. et impressi *conveniat.* Dubitantem me vicit auctoritas codicis P.

Latine scilicet Rhetoras] Firmat Par. cum Ven. *Latine s. rhetoras:* isto enim modo passim *scilicet* in Mss. memini legere. Ex Voss. Oudend. excitat *Latine sc.* vel *scilicet.* Vulgo cum Gellio *Latinos Rhetoras*, quod tuetur Oudend. Statius malebat *haud Latine scilicet rhetoras.* Non perspexerunt interpretes mentem censorum, istis verbis *rhetoris* nomen non Latinum cavillantium.

adolescentulos] Ita PR. Tross. *adul.*

dies totos] Ita Gellius quoque et Harl. Vulgo cum Par. et B. *totos dies*, quod vulgari loquendi consuetudine sane receptum. Per *totos dies* Tib. 62. *per totum diem*, ib. 21. *toto die* Tit. 3. *Totos hos menses* Terent. Eun. II, 2, 46. Phaedr. Fab. IV, 14, 8.

itare] Corrupte in nonnullis *intrare.* OVDEND. Ven. *imitari.*

quae praeter] Abest *quae* a B. Par. et Harl.

maiorum] Omittit B.

recta] Par. et Harl. *item. Neque*, quod praecedit, abest a. B.

et iis] PR. *et i iis.*

qui eos ludos] Par. *per hos libros.* Item Harl. sed *ludos* exhibens, quum antea obtulisset *libros.*

et] Par. et Harl. *ut.*

eo venire] Par. et Harl. *evenire.*

consueverunt] PR. *confueverunt.* Trossius *consuerunt*, ut B. et Vet. impr. Illud Par. et Harl. cum Ven. Gellii cod. Guelph.

et Ed. Flor. V. Oud. ad Oth. 6. Contractam formam ex libris Mss. Ernestius restituit Galb. 22, obtuleruntque Mss. Rhet. 1.

faciundum] Vulgo ut B. Harl. et Par. *faciendum.* Heinsius *cavendum.*

ostenderemus]. Firmat praeter Gellium B. exhibens *ostenderem.* Vulgo cum Par. Harl. et Ven. *ostendamus.* Constructio coniunctivi imperfecti prorsus accommodata eiusmodi decretorum formulis. Itaque Senatus decretum Veientium ap. Goettlingium Fünfzehn Römische Urkunden p. 72: *placere ne — exigeretur,* licet in ratione diversa.

nostram sententiam] Guietus malebat *nostra sententia.*

nobis non] Par. et Harl. *non nobis.*

6. Paulatim] Ita Par. quoque et Harl. B. *paullatim.*

eam et] B. *etiam.* Quae a Wolfio ex Par. et Voss. adscita fuit copula *et,* ea omissa rursus est a BCrusio et Trossio, et nunc ad fidem PR. Harl. et B. revocanda fuit. Revocaverat iam Oudend. Neque aliter Ven.

caussa] Par. et Harl. *causa.*

appetiverunt] Ed. Flor. *appetivere.* Ven. *apparuerunt.*

7. etiam] Cum P. addunt *etiam* vulgo omissum B. Harl. et Par. haud improbante in notis Wolfio.

declamitavit] Ita ex Par. et Voss. iam Wolfius scripserat, probaveratque antea in notis Oudend. Adiice auctoritatem Harl. et B. Olim *declamavit.* Ven. *declaravit.*

cum Cons.] Deleri volunt *Consulibus,* aut per πρόληψιν additum a Suetonio putari. Non enim, hos in Consulatu declamasse, vero simile videri. Sed ita etiam *grandes praetextati* non conveniunt. Ego non video, quare non potuerint hibernis mensibus, antequam ad bellum exirent, declamare. Qui etiam in castris legerunt, scripserunt, et declamarunt, ut de Augusto prodit Suetonius Aug. 84, quidni Romae hoc fecerint? ERN. Itaque probasse videtur scripturam *cum Coss.* quae est in libris nonnullis, ut Paris. eamque certe exhibendam putavi. Sed longe magis placet correctio Fabri ad Senecam prodita, ut *Coss.* plane deleatur, tamquam ex priore particula natum. Quamquam vel

sic residet error Suetonii in nomine Pansae pro Dolabellae. Vid. Cic. Epp. ad fam. 9, 16. WOLFIVS. BCrusius, qui *cum* omisit, servatum in codd. meis: „Al. *cum Consulibus*. Wolf. recepit *cum* et unciuis inclusit vocem *Consulibus*, et per errorem Suetonium *Pansam* nominasse pro *Dolabella*, censet ex Cic. l. l.: „*Hirtium* ego et *Dolabellam* dicendi discipulos habeo.“ Mihi ipsum Pansae nomen ostendere videtur, veram esse lectionem: *Consulibus Hirtio et Pansa.*“ Integra Ciceronis verba haec sunt: *Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, coenandi magistros. Puto enim te audisse (si forte omnia ad vos perferuntur) illos apud me declamitare, me apud illos coenitare.* Ergo in nomine consulis Suetonius indubie errorem commisit. Sed simul hoc certum est, illum Ciceronis locum, in quo nihil de praetextatis grandibus, Suetonium non respexisse, sed alium quempiam, quo facete illud de praetextatis dictum enuntiatum esset. Neque hoc solus Suetonius servavit, sed quem allatum adhuc non video, Seneca quoque rhetor Controversiarum praef. *potuissem eum* [Ciceronem declamantem] *audisse in illo atriolo, in quo duos grandes praetextatos ait secum declamare solitos.* Ut his ex verbis patet sua Suetonium non hausisse, ita haud minus certum est, alium Ciceronis locum etiam Senecae ob oculos fuisse, cuius ex verbis etiam illud colligitur, quod admodum planum quidem apud Suetonium non fit, agi non de declamatione una aliqua, quam cum Hirtio et Pansa vel Dolabello Cicero habuerit, sed de consuetudine declamandi illis cum viris inita et exercitata saepius. Quid igitur? Semel arrepto ignoramus unde Pansae nomine pro Dolobellae, Suetonio proclive erat errori errorem addere novum, duobus istis personis ad temporis rationem, quae notanda ipsi videbatur, aliquatenus significandam adiiciendo consulatus (a. u. c. 711) illam notam *cum cansulibus*, quae ad veritatem quam proxime accedebat, quum Ciceronem cum Hirtio et Dolabella declamitasse a. u. c. 708 constaret. Atque Suetonio consulatus ille Hirtii et Pansae eo facilius in mentem venire debuerat, quo ipse consulatus celebratior fuerat. Itaque tantum abest ut in verborum scriptura spurii quidquam inesse censeam, ut non dubitarim verba *cum consulibus* cum ipso Pansae no-

mine intacta contextui committere. Ex PR. et Par. exhibui *cons.* pro *consulibus*, ut alii. *Cum* abest a Ven.

Hirtio] Harl. cum Ven. *hircio.*

grandes] P. et Par. *grandis.*

vocabat] Ven. *vocabant.*

8. Cn] P. Harl. et Par. *Gn.* Vulgo *Cn.* et sic B. BCrusius *Cneum.*

C.] BCrusius *Cajo.* De Curione Caesaris defensore adi intpp. ad Caes. Bell. Gall. VIII, 52.

caussam] Par. *causam.*

contradiceret] Par. *cum diceret.* Harl. *condiceret.*

M.] BCrusius *Marcum*, ut Ven.

ne] Par. et Harl. *nec.*

9. primo] Vulgo praemittebatur *et*, quod servat Par. cum Harl. et Ven. Omittit etiam B. cum Vet. impr.

ediderunt] Ed. Flor. *edidere.*

10. ac] Par. et Harl. cum Ven. *atque.*

profluxit] PR. *profluit.* Vet. impr. *profluit*, et mox *fluit* pro *floruit.*

11. docendi] Ven. *dicendi.*

non] Vulgo *nec*, ut B. Harl. et Par. quod ob parilitatem membrorum fortasse praestat.

per casus] Eventus, ut quid quoque casu dicendum vel casum intelligit, de quo Quintilianus in V. [c. 10]: *Casus autem*, inquit, *qui et ipse praestat argumentis locum, sine dubio est, ex insequentibus [sed quadam proprietate distinguitur: ut si dicam, melior dux Scipio quam Annibal: vicit Annibalem.]* STATIVS.

tum] P. et Par. cum Vet. impr. *cum.* At vide mox.

et presse] Par. et Harl. cum Ven *ac pr.*

uberius] Par. et Harl. cum Ven. *liberius*, atque ita omnes scriptos exhibere libros ait Casaubonus. PR. *uberius*, quo vereor ne corrector voluerit *liberius*, quod haud peius est.

consuerant] Firmat Oudend. ex Voss. Ita etiam Vet. impr. meique omnes codd. At supra *consuererunt*, ubi v. not. Alii *consueverant*, ut Ven.

viros illustres] Ven. *illustres viros.*

tum - tum] Vulgo cum P. Harl. Par. et, teste Oudendorpio, Voss. cum Edd. vett. *dum-dum,* quod Muretus, si modo vitio vacet, ut ait, comparat cum Graecorum ὁτὲ μὲν — ὁτὲ δέ. Frustra, ut censet Oudendorpius, quod a R. Stephano inde rescriptum fuit et etiamnunc vulgatur *tum - tum* amplexus, maluit comparare quod supra legitur *tum breviter, tum latius.* Piccartus et Scriverius *nunc-nunc.* De altero consimili exemplo structurae *dum - dum* ego quoque frustra quaesivi. Simile tantum quod scripsit Apuleius Met. IX. p. 232: *at dum fodiens, dum irrigans, ceteroque incurvus labore deserviit ego* etc. Faceremne recte, si lectionem tot auctoritatibus munitam oblivioni traderem, diu dubitans, tandem cessi fidei B. *tum-tum* exhibentis, quem omnium codicum solum vidimus etiam aliis locis (v. infra c. 6 *genere*) genuinam scriptoris manum praestitisse.

firmare] Ven. *formare.*

demere] Vulgo praemittitur *historiis,* quod cum P. Par. Harl. et B. delevimus.

thesis et anasceuas et catasceuas] Latinis litteris haec ad fidem PR. Harl. Par. et Ven. exhibui pro Graecis θέσεις et ἀνασκευὰς et. κατασκευάς, ut vulgatur utque Trossius (hic θέσις) edidit. B. num revera Graecam scripturam exhibeat, diserte non enotatum häbeo. Ceterum PR. *anascenas* et *catascenas.* Cum forma accusativi *thesis* compara *acroasis* Gramm. 2 ibique not. Postremo ut Graecis haec litteris scripta esse arbitremur, minime compellemur verbis *quod genus — Graeci vocant,* recordantes eorum quae Gramm. 3 leguntur: *qui a Graecis grammatici nominentur.* Ad rem conferri Grosius iubet Hermogen. Progymn. Vet. XI. Theon. p. 64 et 81. Aphthon. p. 72. 77 et 108.

exoluerunt] Ita etiam Harl. et Par. Ex Voss. Edd. pr. et Casaub. attulit *exsoluerunt* Oudendorpius, ipse *exoleverunt* exhibens. B. *exoluerint.* Vulgo *exoleverunt.*

12. trahebantur] Par. et Harl. *tradebantur.* Ovid. Met. XIII, 922: *nam modo ducebam ducentia retia pisces.* Inde proprie δικτυουλκοί. Iamblich. V. Pyth. B. p. 77. Kiessl. παρὰ τὸν αἰ-

γιαλὸν δικτυουλκοῖς ἐπέστη, ἔτι τῆς σαγήνης κατὰ βυθοῦ ἐμφόρτου ἐπισυρομένης, ubi olim vulgabatur ἐστρωμένης: illud quod aptius est, nonnihil praesidii nanciscitur ex ἐπιστρωμένης oblato in codice quodam, cuius copia mihi praeso est scribenti.

sicut] Par. et Harl. *sicuti.*

additis] Ita etiam Harl. B. et P. cum Vet. impr. Vulgo *adiectis:* sic Ven.

13. sic certe] Par. et Harl. cum Ven. *Et sic certe.*

caussa] Par. *causa.*

14. adolescentes] Ubi ipse loquitur Suetonius, scribit vocem per *u*, et sic Harl.

cum] Ita Harl. et Par. B. *quum.* Ven. *quom.*

Ostiam] PR. Harl. Par. et Ven. *Hostiam.*

litus] Par. et Harl. *littus.*

rete] Ven. *retia.*

adierunt] Vet. imp. *adiere.* et statim etiam *pepigere.* ac post *nummos solvere.* STATIVS.

numos] Par. et Harl. cum Ven. *nummos,* ut vulgo.

exspectaverunt] P. *expectaverunt.*

extractis] Abest a B.

affuit] Vet. impr. *adfuit.* In altero manuscripto *adfuit,* in altero *infuit.* STATIVS. Vulgo *infuit,* ut B. et Ven. Par. et Harl. *fuit,* vere, ut arbitror. Plautus Amph. II, 2, 225: *Nunc quidem praeter nos nemo est.*

sporta] Par. et Harl. *porca.*

obsuta] PR. *absoluta obsuta,* sed linea priori voci subiecta, qua vitiosa duplicatio notaretur.

15. Venalicii] Sunt mangones, pui usitatius *venalitiarii* dicuntur, quod quidam [in his Casaub.] hic reponi volunt. Sed *venalicios* etiam dixit sic Cicero Orat. c. 70. ERNEST. B. *venalici.* Ven. *venalitii,* ut supra *pernitiosi.*

cum] Ita PR. Tross. *quum.* Ven. *quom.*

Brundusi] Ita B. Ceteri cum P. *Brundusii.* BCrusius *Brundisii.* Harl. *brundisii.* Receptam formam firmat inscriptio in Guat-

tani Mon. antichi ined. 1787. p. 23. Cf. Sverdsioe Vindic. Bentl. p. 51.

pretioso] PR. *precioso*, ut Harl. et Ven.

recogniti sunt] Vulgo *res cognita est*. P. et B. *res cogniti sunt*, sed ille *s* deleto, unde Trossius edidit, quod suscepi, insuper firmatum auctoritate Harl. et Par. receptam lectionem integram praestantium.

fuerit] B. et Ven. *fuerat*.

libertatem] Ita legendum consentiunt Viri docti [Mureto l. c. et Vineto facem praeferentibus]. Adde Merillium Obs. 6, 20. ERN. Antea *libertate*, ut etiam Par. WOLF. Item et P. B. et Harl., constanti errore.

16. appellationes Graece synthesis] Oudendorpius: „*adpellatione* Graeca συνθέσεις] Sic edidi partim A. Schotti L. IV. Obs. Hum. c. 7 emendationem pro *adpellationes Graeci*, quod ineptum est, amplexus cum Pitiseo, partim secutus fidem Msstorum; dum Casaubonus quoque ad marg. Ed. ultimae in 12. adtexuit γρ. συνθέσεις: licet forsan verius foret θέσεις: ut supra. Adi Gronovium, vulgo συντάξεις." Huic obtemperarunt Wolfius et BCrusius, *appellatione Graeca* συνθέσεις edentes. *Appellationes* nos ex P. Harl. et Par. revocavimus, praesertim quum *eas* sine adiecto substantivo recte stare nequeat, et ipsae *appellationes* paulo ante commemoratae sint; speciale igitur *appellationum* nomen, cuius loco *controversiae* posthac dictae sunt. Hoc posito patet unice verum esse *Graece*, quod P. praebet. Ad eandem lectionem etiam ducit Par. et Harl. *Graeci*. De nomine Graeco plane haerens, quum haud magis mihi contigerit lectionem συνθέσεις quam συντάξεις certa argumentatione adserere, acquiescendum interim putavi in scriptura Harl. et P. *synthesis* praebentium. PR. *synthesis* (ax superscr.), unde Trossius συντάξεις edidit. Ven. *sithaxis*. At B. certe συνθέσεις, retenta lectione *appellatione Graeca*. De scriptura *synthesis* litteris Latinis dictum paulo supra ad *thesis*. Omnium vero aptissimum foret id quod Ernestio placuit, ut θέσεις (sive *thesis*) scriberetur. Seneca Controversiar. praef. *Declamabat autem Cicero, non quales nunc controversias dicimus nec tales quidem quales ante Ciceronem*

dicebantur, quas theses vocabant. Ceterum PR. *graece eas appellationes,* apicibus adiectis ad verborum ordinem, in quem voces perperam transpositae redigendae essent, notandum.

quidem] Ita etiam Harl. et Par. Vulgo cum B. *quidam.*

professores] Ven. *profectores.*

exstet] P. *extet,* ut supra. Par. et Harl. *extat.*

CAPUT II.

1. Lucius] Ita Par. quoque et Harl. Vulgo *L.* PR. *Lutius,* ut Ven.

Plotius] Par. et Harl. *Plocius.* Firmat etiam Index rhetorum.

in epistola] Addunt etiam Par. et Harl., lepido ille librarii errore *inepta,* quippe compendium, quo *epistola* scriberetur, ignari. Absunt a B. et a vulg. Ea epistola Ciceronis in deperditis est. Ex eadem pariter profecisse videtur Seneca Controversiar. praef. *Nam primus omnium Latinus rhetor Romae fuit puero Cicerone Plotius.* Cf. Hermann De scriptor. ill. ap. Hieronymum p. 9 et Stuerenburg ad Cic. pro Arch. p. XXII.

M.] Ita PR. et Harl. Ceteri libri et vulgo *Marcum,* ut Trossius.

Titinium] Par. Harl. et P. *Titinnium.* Vulgata *Titinium,* quam tuetur B., recte habet. V. Oudend. et Furlanettum ad Forcell. h. v. Adde lapidem in Giornale Arcadico 1819. Gennajo p. 72.

2. Plotium] Par. et Harl. *Plocium.* Praemittitur vulgo *L.* vel *Lucium.* Omisit et Par. cum Harl. Retinuit B.

cum] Ita PR. Ven. *quom.* Tross. *quum.*

idem] Abest a B. haud male.

idem mihi] Hunc ordinem verborum PR. Ceteri libri omnes ut vulgo *mihi idem,* quod dedit Trossius.

hominum] Par. et Ven. *virorum.*

3. M.] Ven. *Marcus.*

Coelius] Par. et Harl. cum Ven. *Celius.*

significabat] Muretus Var. lect. XVI, 11 malebat *significat,* probantibus in notis Oudendorpio et Wolfio, quum sermo esset de libris adhuc exstantibus.

Atratino] P. *Atracino.* Propius ad veram nominis scripturam, de qua v. Furlanettus ad Forcell. v. *Atratinus*, Par. et Harl. *acratino.* Illud ipsum *Atratino* ex Vet. impr. attulit Statius.

subtractoque] Par. et Harl. *subiratoque.* Ven. *subiratoque.*

ordinarium] Vulgo *ordearium*, vel *hordearium:* hoc tenent B. Harl. et Par. cum Ven.: in quo explicando multum laboris interpretes insumpserunt, nuperque rem retractavit Adlerus De Dinarchi vita et dictione, Berolini 1841, p. 41: cuius disputatione tamen hoc effectum est, ut quam eruit vim epitheti Dinarcho inditi, κριθίνου Δημοσθένους, quod in Plotium Coelius transtulerit, eam iam pateat ne convenire quidem cum explicatione a Suetonio subiecta. Veram loci scripturam dudum in schedis servabam, enotatam mihi ex exemplo Oudendorpiani Suetonii in Bibl. Gissensi servato, quod ex editoris donatione, ut ipse scribit, Io. Aug. Ernestius possederat: in quo huius, ut puto, manu ad v. *hordearium* scriptum exstat: „veteres omnes l. ordinarium. Festus: Ordinarius: homo scurra et improbus. Salm. ad Tertull. de pallio p. 335." Audiamus Festum ipsum p. 183: „Ordinarium hominem Oppius ait dici solitum scurram et improbum, qui assidue in litibus moraretur: ob eamque causam in ordine staret adeuntium Praetorem. At Aelius Stilo, qui minime ordine staret . . . . . in ea oratione, quam scribit de suis virtutibus contra Thermum: *Quid mihi fieret, si non stipendia in ordine omnia ordinarius meruissem semper?* Sunt quidam etiam qui manipularem, quia infimi sit ordinis, appellatum credant ordinarium." Cf. et Mueller p. 392. Atque P. lectionem *ordinarium* firmat unus Ms. Statii, ex altero afferentis *hordeam eum rhetorum.*

appellat] Omittit Par.

CAPUT III.

Lucius] Ita Par. quoque et Harl. Vulgo cum B. *L.* PR. *Lutius*, ut supra.

Otacilius] Par. et Harl. cum Ven. et P. in Indice rhetorum (in contextu vulgatam retinente) *Voltacilius.* B. *Volcatius*: quam lectionem ipse olim ex cod. enotavi; nam in collatione Ehlingeri

varietatis nihil adnotatum. Otacilii nomen exstat ap. Grut. p. 146, 5, et in Testamento Dasumii habemus Otacilium quendam et ipsum oratorem: cf. Beitr. z. Gr. u. Röm. Litt. T. II. p. 250. Ante Vinetum vulgabatur *Octacilius*, ut Mediol. et fere scripti libri, ut ait Casaubonus. Ceterum cum Par. Harl. et Ven. scriptura fere convenit Hieronymi contextus, in cuius Chron. quum exhibetur ex Scaligeri emendatione: *L. Otacilius Pilitus latinus rhetor, Cn. Pompeii libertus et doctor, scholam Romae aperuit*, codices ad unum omnes, teste Hermanno l. l. p. 11, vel *Vultacilium*, vel adeo *Acilium Plautum* sive *Plotum* praebent.

Pilutus] In Mss. et Ed. pr. est *Pilutus*. An *Phillatus*? ut in Inscr. Grut. p. 36, 11, vel *Philotas*? ut ibidem p. 931, 12. *Philetus* alioquin obvium est libertinorum nomen. *Piletus* [?] malebat quoque Scaliger ad Hieronym. in Chron. Euseb. probante Spanhemio diss. XI de Num. p. 303. T. 2. Sed Voss. 3. de Hist. 9 dubitat, num potius et Hieronymo et hic *Plotus* sit scribendum. *Pitholaus* ex Macrobii L. II. S. C. 2 legi nequit. Is enim ibi *M. Otacilius Pitholaus* vocatur: hic *L.* ut bene observavit Pontanus. OVDEND. Vulgo *Pilitus*, ut Oudend. Par. et Harl. *Pilutus*. B. *Pelutus*. Hieronymus l. l. *Plautus* vel *Plotus*, quorum illud mallem: nam et mihi nomen *Pilutus* suspectum. P. in Indice rhetor. *Pilatus*.

ostiarius] Harl. PR. et Par. cum Ven. *hostiarius*.

vetere] Alii *veteri*, ut Par.

catena] Par. et Harl. cum Ven. *cathena*.

et] Vulgo *ac*, ut Harl. Par. B. et Ven.

studia] Ita Harl. cum P. Ceteri omnes libri cum vulg. *studium*.

subscripsit] Malebat Statius *suo scripsit*. Intelligit Grosius orationes, quas in foro patronus haberet.

Cn.] P. *Gn.*

patrisque] E Vossiano recepi. *que* aliis deest. OVDEND.

Corn.] Ita solus PR. Libri Mss. et impr. omnes *Cornelius*. Fallor, aut Nepos ista dixit in Praefatione Chronicon, ubi locus fuit de auctoribus historiae exponendi commodissimus.

scribi] Abest a Vet. impr.

CAPUT IV.

1. Ad id] Alii *ad idem* vel edidere vel scribi voluere. ERNEST.

Epidius] Praenomen, quod reticuit Suetonius, Plinius servavit, si modo idem homo intelligitur, XVII, 25, 38: *apud nos vero C. Epidii commentarii, in quibus arbores locutae quoque reperiuntur.* Contra Marcum appellat et quidem sine ulla de homine dubitatione Cynthius Cenetensis in Vergilium in Maii Auct. cl. T. VII. p. 323, ubi de Vergilio: „Romam mox se contulit, et sub Marco Epidio rhetore, qui fuerat Augusti praeceptor, multum profecit, eiusque industria in amicitiam Pollionis acceptus est.“ Immo condiscipulum Augusti facit Vergilium sub eodem praeceptore Auctor vitae Vergilii ex cod. Paris. vulgatae in Bibliothèque de l'école des chartes T. II. p. 126: „studuit apud Epidium oratorem cum Caesare Augusto.“ Qua de re dicere nunc alienum. Adde quod in rhetorum Indice huic libello praemisso Epidius pariter *M.* appellatur. Huius ad fidem cur in contextum non receperim, dixi ad Gramm. 9. init.

calumnia] B. *calumniam.*

dicendi] Ita iam ex ed. Flor. Oudend. et Ernestius reponendum esse viderant pro *docendi,* ut antea vulgabatur: nisi prorsus inducendum esset, quod idem Ernestius proposuit. Harl. et Ven. *docendi.*

2. Quibus] Par. *in quibus,* ut Harl.

C.] Quod tribunus plebis Cannutius, qui hic non possit non intelligi, praenomen Tiberii habuerit, hoc Ernestius rescribi voluit. Lenius Wolfio videbatur *C* delere, quod iam Oudendorpius, quem v. de hoc homine, sibi magis placere adnotaverat.

Cannutius] Vulgo *Canutius,* ut Ven. Scripturam nominis ex Harl. PR. *(Cānutius)* et Par. susceptam firmant Grut. p. 872, 4 et Cod. Medic. Epist. Ciceronis. Adde lapidem in Labus Museo di Mantova T. III. p. 237.

re publica] Harl. PR. et Par. *re p.* Ven. *repu.*

consularis] Par. et Harl. *considis.* Pith. *Considii,* perperam: neque enim, inquit Casaubonus, Considiorum, verum Serviliorum cognomen erat *Isauricus.*

sequeretur] Par. *saequeretur.*

Malle] Par. *Male.*

Isaurici] Probo Acidalii ad Dial. de corr. eloq. c. 21 sententiam, qui verbum *consularis* post *Isaurici* ponendum putabat: quo modo elegans antithesis efficitur *Isaurici consularis* et *Epidii calumniatoris.* ERN. Ratio, etsi elegans, non necessaria est, ut videbatur Oudend., qui denique etiam *calumniat.* omitti malebat. WOLFIVS.

Epidi] Harl. et Par. *Epidici,* ut PR., sed hic littera *c* posthac expuncta. *Epidici* Ven. hic et mox. *Epidici* in aliquot Mss. esse adnotavit Oudend. in quibus est Pith., teste Casaubono. Vet. impr. *Epidii*, prorsus ut edendum fuit.

8. a C. Epidio] Vulgo *ab Epidio*, prorsus ut Harl. Par. et B. cum Ven., Trossius *C. Epid.*, omissa praepositione, quam in P. esse Ritschelius affirmat. Iul. Caes. 6: *maternum genus ab regibus ortum.*

Nucerino] Vulgo *Nuncino*, ad BCrusium usque, nomen nihili. Muretus Var. lect. XVI, 20 *Nursino.* Bene habet cognomen *Mancino* ex P. a Trossio repositum, si per se spectatur. Notus vel ex Cicerone Hostilius *Mancinus:* alia exempla dabit Gruterus. At Par. et Voss. *Nuncino.* B. cum *Epidio* coniunctim *Epidionincino*. Harl. *nūcino.* Ven. *nucino.* Horum librorum scriptura fretus scripsi *Nucerino,* quod etiam alios, quos non novi, iam legisse BCrusius refert. Videlicet Epidium illum, cuius ex gente rhetor cognominis ortum se praedicabat, proclive est putare eius agri incolam, quem Sarnus fluvius, cuius in fontem praecipitatus dicatur, alluerit. Huius autem fluvii accolas Servius ad Aen. VII, 738 ex Conone refert Nuceriam urbem condidisse. Plinius III, 5: *haud procul* [a Pompeiis] *adspectante monte Vesuvio, alluente vero Sarno amne, ager Nucerinus, et novem millia passuum a mari, ipsa Nuceria.* Tum quum ex Suetonio constet Epidium illum in numero deorum a popularibus suis, ut opinor, h. e. a Nucerinis, habitum esse: nam quod Gaii praenomine hic appellatur, nihil moror: admodum probabilis est coniectura mea, hunc ipsum heroem expressum esse in nummis Nucerinis nonnullis Osce inscriptis apud Eckhel Doctr. T. I. p. 115, quibus repraesentatur „caput iuvenile diadematum cum cornu arietino.“ Item sensit Avellinius apud Millingen Medail-

les Gr. p. 15, cuius sententiam ita probavit Cavedonius Bull. dell' inst. arch. 1839. p. 138, ut Epidii herois ex Osca nummorum quorundam inscriptione cognomen *Sarninus*, a fluvii nommine ductum, confinxerit, quod quasi divinum fuerit iuxta alterum humanum, formandum ex aliorum nummorum inscriptione NVKIPNVM. Ex his certe *Nucerini* cognomen prodit, quo apud Suetonium Epidius appellatur appellandusque erat, si patriae eius ratio habenda erat. V. Furlanetti Lapidi antiche Patavine p. 233. Haec satis, opinor, firmabunt lectionem *Nucerino* in Suetonio, etiam tum firmam, quum aurem praebueris Lepsio De inscript. Umbricis et Oscis p 114 sq., nullum adhuc nummum Nucerinum Osce inscriptum, qui suspicione falsi exemptus esset, repertum esse contendenti. Si tamen in fide nummorum illorum interim standum est, non tacenda est alia eiusdem Cavedonii coniectura valde probabilis, proposita l. l. 1840. p. 142, secundum quam *Equus magnus* Nuceriae positus in statua equestri eiusdem herois Epidii constiterit: quae coniectura praesidii nonnihil ex ipso Epidii nomine nancisci mihi quidem videtur; quandoquidem quum constet Oscos *p* scripsisse, ubi Latini *qu* posuissent (v. Klenze Phil. Abh. p. 53 et Bergk Ind. lect. Marburg. 1844 (de Ennio) p. IV) admodum veri simile est, *Epidii* nomen Oscis idem valuisse atque *Equidii*, eiusque originem et potestatem a v. *equus* repetendam esse. Accedit quod, si Oscae litterae D memineris quae medium inter *d* et *r* sonum habuit, quaeque varias in sermone Latino confusiones peperit (v. Lepsius De tab. Eugub. p. 53) facile adducare ut *Epidius* re ipsa idem fuisse statuas atque *Equirius*, cuius vocis apud Romanos adhuc exstat memoria in nomine festorum *Equiriorum*.

praecipitatum] Par. et Harl. *principatum*.

paulo] B. et Par. *paullo*.

exstitisse] P. *extitisse*.

comparuisse] Par. *comperisse*.

CAPUT V.

1. Clodius] Hieronymus *Claudius* appellat, teste Hermanno l. l. p. 32.

M.] Omisit Trossius, invito PR. ceterisque libris. Neque aliter antea vulgabatur.

extricte] Hic locus haud dubie corruptus est. Statius ad Catull. p. 255 pro *exstitisse* legebat *extrisse* vel *extrivisse*. Muretus: *pari oculorum amicitiam Marci Antonii triumviri stetisse sibi:* scilicet quod bibendo retudisset oculos: eaque coniectura valde probatur doctis quibusdam viris. Sed nimis a vulgata lectione recedere videtur: praeterquam, quod non video, quare *pari oculorum* dixerit, et non *oculis* simpliciter. ERN. Existimari hoc non licet, contextu deperdito. Verum probabilior est correctio Statii, probata et aliis et Valckenario ad Fragmm. Callimachi p. 120. In libris partim erat *extricte*. WOLFIVS. B. *extrictae*. P. *extricte*, ut Statii libri; hoc interim expressi, adiecto vitii indice. Suscepissem cum Grosio *extrisse*, nisi *exstitisse*, quod tuentur cum Ven. Par. et Harl., aliud latere indicaret, veluti *exstinxisse*. Guietus coni. *perdidisse*.

2. Eiusdem] Guietus coni. *In eiusdem*.

imo] Vulgo *immo*, ut Ven.

Philippicis] II, 17.

obiicit] Sequitur Par. et Harl. lacuna octo fere litterarum. An forte exciderunt quae apud Ciceronem leguntur *Et vero?*

Adhibes] P. *tibi et*, aperto vitio, quod cognoscitur ex B. *tibi est*. Par. et Harl. *tibi ut*.

caussa] Par. *causa*, ut Ven.

compotorum] P. Harl. Par. et Mss. Vossii *competitorum* recte damnatum a Mureto l. c. An fuit *compotatorum?* Sed V Philipp. 8 recurrunt *compotores*, sine lectionis varietate.

cui] Omittunt Harl. P. et Par., recte, quum semel *adhibes* obscuratum esset.

in quem vellet] Tullius *in te quae vellet*.

salsum] Par. et Harl. cum Ven. *falsum*.

in te] Absunt a P. Par. Harl. et B. quae abesse non possunt, librariorum errore, non Suetonii negligentia.

dicere] *Dicta* [quod vulgo praemittitur atque nunc etiam in Cicerone addi solet] abest a Paris. et plerisque aliis, item ap. Ciceronem vulgo; voluitque abesse etiam Schottus, vel *dicta*

iacere. Equidem non satis caussae video cur mutetur. At confidentius etiam Ernest. utramque vocem apud Cic. deleri iubet. *Dicta* delevit Oudend. WOLFIUS. Delevimus auctoritate PR., invito Trossio. Ex meis libris unus B. servavit. Iam dudum deleverat Vinetus.

audite] Semel olim lectum, bis scripsit Oudend. ex Cicerone et Edd. ante Casaubonum vulgatis, licet semel modo legatur in Voss. Semel tantum Harl. et Ven. Bis, ni fallor, Par.

conscripti] PR. *con* compendiose.

rei publicae] Harl. PR. et Par. *rei p.* ut supra. Ven. *rei pu.*

milia] Ita Trossius. PR. Par. et Harl. *millia.* V. ad Gr. 8.

Sex.] Ita cum vulg. B. et PR. Ceteri *Sexto,* ut Tross.

assignasti] Par. *assignati.* Tross. *adsig.* PR. ut edidi, cum Harl. et Ven.

immuni] Ita Par. quoque cum Harl. et Voss. Claud. 25: *Ilienses ab omni onere immunes.* Cf. Tac. Ann. I, 36. Haud deterius *immunia* vulgo cum Cic. et B.: quod mavult Oudend.

tanta] Ap. Cic. praemittuntur *populi Romani*, vel *pro.*

CAPUT VI.

1. Gaius] P. Par. et Harl. *Caius.* B. *C,* ut vulgo.

Silus] Quod apud Hieronymum Albutius appellatur *Silo,* ex promiscuo utriusque cognominis usu repetendum ducit Hermannus l. l. p. 25, notatis nonnullis Senecae rhetoris locis, quibus *Silus* Albutius nominatur. Adde ex eiusdem Senecae editione Basileensi a. 1557, qua sola utor, Controv. VII. p. 601 *Albutii Sylii,* p. 608 *Alb. Silii* et *Alb. Sylli.*

cum] Ita Harl. PR. et Par., ut et mox. Ven. *quom,* ut mox. Tross. *quum,* hic et infra.

cum forte ius diceret] Ernestius malebat *atque f. i. d.,* vel *forte ius dicens.* Oudendorpio excidisse videbatur vel *et* vel *que.*

iis] Par. et Harl. *his.* Hoc vitium codici Henochiano familiare notat Massmannus ad Germ. p. 209.

contra] Abest a Par. et Harl.

pronuntiabat] Harl. *pronunciabat,* ut Ven.

detractus] Par. et Harl. *tractus.*

2. qui] B. *quum*.

atque ita] Par. et Harl. *itaque*, ut coniecerat Statius. Ven. *aclaque ita*.

dimittere] Ita B. quoque et Par. cum Harl. neque aliter olim vulgatum, Muretoque probatum, donec Gronovio duce et adstipulante Drakenb. ad Liv. III. 35 Oudendorpius et Ernestius *demittere* scripserunt, quod cum Wolfio suscepit BCrusius. Seneca Controv. Praef. ubi de Porcio Latrone agitur: *Rursus cum se dimiserat in omnes lusus et in omnes iocose resolvebat*, ubi legendum *iocos se res*.

3. Sed] Ven. *set*.

incipere] P. et B. cum Edd. vett. et in his Ven. *in opere*, quod corrigendum esse iam Faernus et Muretus viderant. Harl. primo *in opere*, deinde correctum. Par. ut edidi. Rem confirmat Seneca Controv. VII. Prooemio, ubi de Albutio: *Incipiebat enim sedens, et siquando illum produxerat calor, exsurgere audebat, illa intempestiva in declamationibus eius philosophia sine modo tunc et sine fine evagabatur*. Idem Controv. Praef. de Porcione Latrone narratur: *Antequam dicere inciperet, sedens quaestionem eius, quam dicturus erat, controversiae proponebat: quod summae fiduciae est*.

declamare etc.] Codd. sic fere *declamare aut gemere*. Correxit Muretus l. c. idemque mox *tantum non* pro *tantummodo*. *Declamare* tamen servari potuisse censet Oud'end., ut pendeat a verbo *solitus:* Schott. sic verba laudat ad Senec. Controv. lib. 3. praef. WOLFIVS. Scilicet a Mureto inde vulgatum usque ad hunc diem *perorare*. *Declamabat autem genere vario, modo splendide atque adornate: tum* etc. Editiones Mureto anteriores: *declamare aut g.*, quod nunc ex P. Trossius reduxit, libris meis Mss. tantum non omnibus firmatum, quorum ad fidem totus locus refingendus fuit, sumpto inprimis P. duce.

autem] P. Harl. et Par. cum Ven. *aut*. Illud B.

genere] P. Harl. et Par. cum Ven. *gemere*, quod ab hoc loco utique alienum. Illud rursus B. iam a Mureto propositum. Quo recepto rarior quidem prodit structurae ratio *modo-tum*, nec tamen a sermone Latino abhorrens, siquidem simile est *modo-*

interdum, vel *nonnumquam,* a Suetonio ipso frequentatum. V. BCrusii Indicem Latinitatis p. 512 et in primis Handii Tursell. T. III. p. 647, ubi qui excitatur ex Rhetor. ad Herenn. III, 14, 24 locus huc maxime facit: *deinde modo acriter, tum clementer, moeste, hilariter in omnes partes commutabimus, ut verba, ita pronuntiationem.*

splendide etc.] Ad rem conferenda haec Senecae Controv. l. l. de Albutio: *Inaequalitatem in illo mirari libebat. Splendidissimus erat: idem res dicebat omnium sordidissimas, acetum et puleium et laternas philerotem, spongias, nihil putabat esse quod dici in declamatione non posset. Erat autem illa causa, timebat ne scholasticus videretur, dum alterum vitium evitabat, incidebat in alterum, nec videbat nimium orationis splendorem his admixtis sordibus non defendi, sed inquinari ... Albutius enim non quomodo non esset scholasticus quaerebat, sed quomodo [non] videretur.*

adornate] Par. et Harl. *adoranter.* Ven. *adorante.*

tum ne usquequaque] P. *ut tum ne usque quaque,* unde Tross. id quod expressi.

tamen non] Vulgo *tantummodo,* ut Par et Harl. cum Ven., cuius loco Muretus *tantum non.* Lectionem ex P. susceptam firmat B.

4. caussas] Par. *causas,* ut Ven.

verum rarius] Par. et Harl. *verius et rarius.* Ven. *veriū rarius.*

quamque] Ante Muretum *quanquam.* Harl. et Ven. *quanque.*

nec] Par. *ne.*

perorandi] Par. et Harl. *operandi.*

Postea] Addit B. *vero.*

renuntiavit] Harl. *renunciavit.*

pudore] Ven. *timore.*

metu] Par. *moetu.*

5. Nam etc.] Eandem rem Seneca l. l. ita narrat: *Nam in quodam iudicio centumvirali, cum diceretur iurisiurandi conditio aliquando facta ab adversario, induxit eiusmodi figuram, qua illi omnia crimina irrogaret. Placet, inquit, tibi rem iureiurando transigi? iura, sed ego iusiurandum dabo. Iura per patris cineres qui inconditi sunt. Iura per patris memoriam, et exsecutus est locum, quo perfecto surrexit. Lu. Aruntius ex diverso ait, Accipimus conditionem, iuravit. Clamabat Albutius, non detuli conditionem, schema dixi. Aruntius instabat, centumviri rebus iam ultimis separabant. Albutius clamabat, Ista ratione schemata de rerum natura tolluntur. Aruntius aiebat, tollantur, poterimus sine illis*

vivere. Summa rei haec fuit. Centumviri dixerunt dare ipsos secundum adversarium Albutii, si iuraret ille. Iuravit. Albutius non tulit hanc contumeliam, sed iratus calumniam sibi imposuit: numquam enim amplius in foro dixit, homo summae probitatis, qui nec facere iniuriam nec pati sciret.

cum] Ita cum PR. Par. et Harl. B. *quum*, ut Tross. Ven. *quom.*

optulisset] B. Harl. et Ven. cum vulg. *obt.* V. ad Cic. de rep. p. 240.

sui] Par. et Harl. cum Ven. *sua.*

negotium] PR. *negocium.*

6. caedis] Par. et Ven. *cedis.*

proconsulem] Ita vulgo. Par. *Procbs.* Harl. *procons.* B. *personalem.*

cum] Ita PR. et Par. cum Harl. B. *quum*, ut Tross. Ven. *quom.*

cohibente] P. Harl. et B. *cohiberent.* Par. *cohiberet.*

lictore] P. B. Harl. et Par. *lictores.* Ven. *littores.*

excanduisset] P. *excanduisse*, continuo addens *et.* Item Par. et Harl. *excanduisse et*, sed sine nota copulae delendae. B. et Ven. ut vulgo *excanduisset.* Ex hac loci corruptione nata copula *et*, quae vulgo post *ut* additur, a P. Harl. Par. et Ven. recte omissa. Muretus *excanduit* proposuerat.

deplorato] Par. et Harl. *deplicato.*

M.] Ita Par. quoque. Vulgo *Marcum*, ut B.

conspectu] Ven. *corupectum.* P. *ipseum.*

paene] Harl. PR. et Par. *pene*, ut supra.

7. vitium] Harl. *vicium*, ut Ven.

caussis] Harl. (in quo vox plerumque per compendium scribitur) PR. Farnes. et Par. *causis*, ut Ven.

concionantis] Ven. *contionantis.* Illud Farnes.

abstinuit cibo] PR. *abstinuit cibo: ∞ cibo abstinuit*...... *abstinuit.* Quas stribligines non notavit Trossius. De subscriptione codicum P. et Harl. aliorumque exemplorum in Praef. expositum. Farnes. *abstinuit cibo. amăro atzh†li:* postrema quid sonent me fugit; praeterea ait Massmannus p. 193 ibi adnotari „vacat in exemplari." Vatic. 4498 (*R* Massmanni) desinit verbis *abstinuit cibo:* neque aliter Vatic. 1862.

INDEX.

Gissae, Typis G. D. Bruchli I. typogr. acad.